

... p[ro]p[ter] ...  
... abh[er]e[n]t[ur] ...

**Q**uia ad

... ob ...  
... et ...  
... helle ...  
... ipsa ...

... uno ...  
... illa ...  
... ad ...

... ut ...  
... quod ...  
... et ...

... malum ...  
... quod ...  
... reu[er]te[n]te ...

... me ...  
... omnes ...  
... e[st] ...

**ada q[ue] fortuna[m]**

... malou ...  
... p[ro]p[ter] ...  
... p[ro]p[ter] ...

... quod ...  
... ut ...  
... et ...

... dicitur ...

**P**rophetia

... lib[er] ...  
... dicitur ...  
... et ...

**celes ac simbolo**

**F**ides om[n]i[um] ...

... et ...  
... et ...

**R**atio

... et ...  
... et ...

**D**icitur

... et ...  
... et ...

**I**ndicium

... et ...  
... et ...

**S**icut dicitur in ...

... et ...  
... et ...

**V**idetur

... et ...  
... et ...

**Q**uia dicitur

... et ...  
... et ...

**Q**uia dicitur


... et ...  
... et ...



Liber  
Bibliothecæ Academicæ Halensi  
a  
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,  
Med. Doct. & Practico  
Berolinensi,  
TESTAMENTO DONATUS.  
1729.

Ne. 16





BRVNONIS SEIDELII  
LIBER  
MORBORVM  
INCVRABILIVM  
CAVSAS, MIRA BREVITATE  
summa lectionis iucunditate  
erudite explicans.

*MEDICIS ATQVE THEOLOGIS  
apprime necessarius atq; utilis.*

CVM PRÆFATIONE AD  
IOANNEM POSTHVM, & IOANNEM  
OPSOPŒVM Med. D.

*Accessit elenchus auctorum & rerum.*



Cum Cæs. Maiest. gratia & priuilegio ad sexennium.

FRANCOFVRTI,  
*Apud Joannem Wechelum.*

M D X C I I I .

*SVMMA PRIVILEGII*

*Cæs. Maiest.*

**C**AUTVM est Cæsareæ Maiestatis auctoritate & priuilegio, ne quis, qui in Sacro Romano Imperio, & regnis dominiisq; Cæsareæ Maiest. hæreditariis, vel imprimendis vel vendendis libris, seu quacunque alia ratione librariam negotiationem exercet, D. Brunonis Seidelii opera, siue seorsim siue cõiunctim excusa, per totum sexennium ab editionis absolutæ die numerandum, intra Sacri Romani Imperii & omnium Cæs. Maiestatis Regnorum ac Provinciarum fines, eodem vel alio caractere recudere, aut vbicumq; recudenda dare, aut alibi impressa adducere, vèdere, vel distrahere palam vel occulte ausit. Sub pœna priuationis omnium exemplarium & decem Marcharum auri puri Imperiali Fisco & D. Seidelii hæredibus ex æquo soluendarum.





CLARISSIMIS  
VIRTUTE, DOCTRINA,  
EXPERIENTIA

VIRIS:  
PERITISSIMIS  
ARTIS MACHAONIÆ  
DOCTORIBVS:

Dn. IOANNI POSTHIO P. L.  
ILLVSTRISSIMI PALATINATVS  
ELECTORIS  
CONSTITVTO MEDICO.

Dn. IOANNI OPSOPOEO MED.  
IN INCLYTA HEIDELBERGENSI  
ACADEMIA  
PROFESSORI CELEBERRIMO.

Dn. PATRONIS SVIS PERPE-  
TVA OBSERVANTIA  
COLENDIS.

S. P.



*INTER infinita & innumera-  
bilia, clarissimi ac omni scientia-  
rum genere cumulatisimi viri,  
amici ac fautores optimi, huma-  
no generi à diuino numine concessa beneficia;*

) ( 2

EPISTOLA

non est ullum, quod præstantis atq; excellen-  
 tis doctrinae suae & amplitudine & dignita-  
 te medicam artem, qua sanitas corporis amif-  
 sa restituitur, vires debilitatae ac enervatae  
 restaurantur, recolliguntur & reficiuntur,  
 adaequet. Quid enim, cum in aliquem dubi-  
 um, ancipitem, difficilem, pertinacem, acu-  
 tum, periculosum ac deploratae spei morbum,  
 qui acriter urgeat, instet & celerrime ad sta-  
 tum properet, non ullas moras, non ullas indu-  
 cias, non ulla deliberandi, nec ulla medica-  
 mentorum, tum eligendorum, tum præparan-  
 dorum, spacia admittat, incideris, magis in  
 votis habeas aut exoptes, quam ut facilem &  
 expeditam, sine ulla mora, teterrimis ac naturae  
 humanae infensissimis morbi nebulis discussis  
 & profligatis, consequaris curationem, & pri-  
 stino sanitatis flori restituaris. Quem florem  
 nemo citius, nemo celerius, nemo expeditius,  
 nemo feliciter præbere poterit, quam qui mor-  
 bos singulos, eorumque symptomata habue-  
 rit explorata, ac praesentaneorum remedio-  
 rum, expugnando morbo sufficientium, copia  
 instructus, in acie cum hoste morbifero con-  
 gressus,



## DEDICATORIA.

gressus, si non semper tamen maximam partem, palmam reportarit.

Eum autem, in tanta tamque sterili, effœta & infœcunda medicos se profitentium multitudine, inuenire tam difficile fuerit, quam medium circuli exactissima cura descriptum imperita multitudini exhibere, aut mediocritatem in omnibus actionib. tenere.

Quis quaeso, hominum est, qui vitreas verborum bullas iactando medicæ artis aliquam scientiam & cognitionem, non dico exiguam sed perfectam, non vendicet, non arroget, non assignet sibi? quis est, qui ægro de dolore ex morbo contracto multum conquerenti medelam adhibere nõ gestiat? Quis est, quem (fallacibus) suis experimentis sordidam gloriolam, inanem laudem, auram popularem captandi anxius ardor, detestabilis libido, execranda cupiditas non rapiat? non teneat? non inflammet? Adeo enim omnes homines, viri æque ac fœminæ, senex æque ac iuuenis, anus æque ac virgo, peritus æque ac imperitus, medici videri pruriunt, ut si omnes, qui medicæ artis cognitionem atq; sci-

EPISTOLA

entiam falso nomine sibi adscribunt, eamque nullis, nec practicæ, nec theoreticæ medicinæ, adminiculis instructi, non sine exigua decumbentium clade, impudenter exercent, numero comprehendere velis, prius quot fluctibus mare à condito ævo agitatum sit sermone atque oratione expedias! adeo in infinitum medicorum se numerus porrigit, ut maior sit, quam ut ab hominibus considerari possit!

Vnde Pontano, & magni nominis & summæ authoritatis viro, fidem meam non facile detraxerim, qui cōcinna admodum rei gestæ narratione hoc, quod dixi, testatū facit. Cum etenim aliquando, (Lemnii verba sunt) inter proceres aulicos certamine ac contentione orta, hæc quæstio multis ventilationibus agitata fuisset, quorum nam artificum, & eorum, qui opificio aliquo se exercent, maior esset vel numerus, vel copia, aliis aliud proferentibus, ut sunt in Repub. ac confusa multitudine pistores, lanii, coci, textores, carpentarii, aurigæ, fullones, trapezita ac mensarii, usurarii, factores, nautæ, lenones, quib. quæstus in-

DEDICATORIA.

Stus inter omnes uberrimus: tum unus, nulla, inquit, artificum maior copia, quam eorum, qui se medicos profitentur, aut eius artis nomine se venditant: cuius se primo quoque tempore specimen exhibiturum pollicetur. Itaque postridie quendam in publicum producit ad peragendam fabulam hanc mire dextrum, qui, fascia obuolutis cervicibus, vultuque ad morbum composito, dentium dolorem simulat, ac subinde ingemiscens ab obuiis stipē eblauditur, atque aliquid remedii mitigando dolori implorat: ibi nemo non ex numerosissima multitudine fomenta prescribit, ac quid dolorem discutiat, confidenter profitetur. Itaque omnium suffragiis euicit, qui contenderat nullam medicorum turba in ciuitate numerosiorem.

Et certe quis non, cuius vel oculi, ut nota ad candelam, cecutiant, rem ita sese habere liquido perspiciat? Neglecta decrepitarum anicularum incomprehensibili, infinita, numerosissima turba, quæ tamē nunquam medicamentis à natura concessis, sed incantationibus plerumque, ex pacto cum stygio Plu-

## EPISTOLA

tone inito, morbi radicem tollunt, quot quæso prodeunt erronei, circumforeani, agyrtae, circulatores, impostores, defraudatores, monachi, Iudæi, & infiniti eiusdem farinae homines, asini ad lyram, quod dicitur, ἀπὸ ἀδευτοί, & veræ artis prorsus ignari, homines ex omni scelerum colluione nati? Tot certe, ut si formicarum, quarum in Myrmidonas transmutatarum mentionem facit Ovidius, numerum his medicis iactabundis (nomen licet titulumq; medici in æternos non promereantur dies) conferas, nullus nullus inquam appareat.

Digni certe eiusmodi farinae homines, ut iis aqua & igni interdicator. Siquidem præter id, quod agrum ledunt, dum promissam ei sanitatem perfecte atq; omni ex parte restituere nequeunt, maximam arti faciunt iniuriam, insignem inurunt maculam atq; summam inferunt cladem, ut periti pariter ac ignari artis exiguam, apud vulgus non modo imperitum, verum etiam sanioris iudicii homines, obtineant auctoritatem. Quæ res certe, ubi arti suus non habetur honos, efficit, ut multi à medicæ artis studio deterreantur, propellantur &

DEDICATORIA.

tur & abigantur: multis ad arcana naturæ  
mysteria indaganda aditus occludatur, &  
medicorum, qui tales non nomine, sed omine  
sint, numerus ad paucos admodum redigatur.

Qua tamen in parte Cardanus, vir alio-  
qui in omni doctrinarum politiorum genere  
valde acutus & subtilis, mihi nequaquam  
probat. Hic enim millesimo quoq; anno u-  
num tantum excellentem & perfectum me-  
dicum fuisse, seq; è millenario septimo septi-  
mum esse asserere non veretur. Quod sane, si  
ita esset, ut non est, quid quaeso medicorum  
studiis magis noxium, magis aduersum, ma-  
gis contrarium, quam si perfectionis gradus,  
ad quem omnes medici collimant, in dubio es-  
set positus? Quem inter omnes, quos vidit  
antiquitas, è perfectis primum statues? Num  
Machaona? num Podalirium? num Hippo-  
cratem? num Galenum? num Dioscoridem?  
num Auicennam? num Alexandrum Tralli-  
enum? num Paulum Aeginetam? num alium  
quendam ex veteribus, ut certe multi sunt?  
Quem ultimū ex iis, quos nostra vidit ætas?  
num Paracelsum? num Cardanum? num

EPISTOLA

*Quercetanus? num modestinos fumiendus.  
los, Paracelsi in Ciniflonia sectatores?*

*Lubens prætereo absonam Cardani mentem, & summam sacris illatam literis iniuriam, dum mundum ad septem mille durasse annos non obscure indicat.*

*Sicut igitur Cardani sententia à veritatis limine omnino abhorret, nec in conspectum limatioris ac tersioris ingenii virorum prodire audet: ita maiorum nostrorum tempore non pauci, & quidem præstantissimi medici, in illustranda medicina totos soles gnauiter laborarunt, & experientia sola artium magistra armati atq; instructi, nulli auxiliatrices manus petenti se subdixerunt. Inter quos non infimum tenuit locum clarissimus ac doctissimus vir P. M. Dn. BRUNO SEIDELIVS Med. Doctor, Hippocratis & Galeni, si quis alius, sectator studiosissimus, & de re literaria optime meritus.*

*Hic præter cæteros infinitos, quos à se conscriptos publici iuris fecit libros, tractatum quendam de causis incurabilium morborum summa elegãtia, magna eruditione, mira breuitate,*

## DEDICATORIA.

uitate, amœna grataque iucunditate refer-  
tum, conscripsit & adornauit. In quo contra  
eos, qui omnem non curati, siue morbi, siue æ-  
gri, culpam in medici partes transferunt, mul-  
ta consideratione digna disputantur, illorum  
querelæ retexuntur, & veræ non curati mor-  
bi causæ penicillo quasi adumbratæ delinean-  
tur. Multum enim diuinæ prouidentia, mul-  
tum incantationibus seu veneficiis: multum  
fato Physico: multum ægris ipsis aut refra-  
ctariis, aut delicatulis omnino: multum me-  
dici ministris & Pharmacopolis: multum ex-  
soletis & temporis diuturnitate corruptis aut  
iniuria loci insigniter læsis medicamentis: mul-  
tum acutiei, multum pertinaciæ, multum ma-  
gnitudini morbi, multum deniq; adstantibus  
cæteris exterioribus & casui tribuendum,  
nec omnium errata in medicum conferenda.

Harum morbi non curati causarum co-  
gnitionem aliquam habere, quantum profit,  
in discursu lectionis patebit. Prodest quidem  
& medico & agroto. Huic quidem, ut no-  
xia vitando, & salutaria appetendo, eo expe-  
ditius conualescat: illi vero, ut honorem, quo

## EPISTOLA

digna sunt præstantia ingenia à cordatis consequatur viris.

*Paucis ut meam sententiam complectar, libellus iste, qui ad harum causarum cognitionem viam nobis patefacit, omnino dignus, ut cineribus non modo non obruatur, sed etiam, ut ab omnibus legatur, æternæque memoriæ tradatur.*

*Quare de huius libelli, ad me per hæredes Dn. Doctoris Seidelii P. M. delati, editione cum aliquoties mecum cogitarem, multis rerum medicarum cupidissimis viris me gratificaturum certo statuebam.*

*Sub vestro autem viri clarissimi, patroni venerandi, patrocínio hunc libellum in lucem emittere volui multis magnisque de causis.*

*Primum etenim vos, qui non umbratili studio dediti, amplam medicinae scientiam æternumque nomen vobis cõparastis, par est de medicis libellis iudicium ferre, (artifici siquidem cuilibet in sua arte credendum) eosque si consentanea veritati tractent aut doceant, à mortalitate, interitu & invidia hominum vindicare.*

Deinde



## DEDICATORIA.

Deinde cum uterq; me maximis de vix-  
eritis beneficiis, ingratus certe essem, & non  
solum ingratus verum etiam impudens, &  
supra quam dici potest impius, si nullam re-  
ferenda gratia rationem in eundam mihi cen-  
serem. Despicienti autem & consideranti  
mihi de gratitudinis exhibenda via ac ratio-  
ne, continuo vestrorum erga me meritorum  
magnitudo occurrit, & deliberationem meam  
perquam difficilem efficit. Vereor enim ut  
vestrorum beneficiorum magnitudini ex æ-  
qualitate muneris respondeam.

Hæc cogitatio cum me diu suspensum te-  
neret, tandem in mentem venit, ea id re ma-  
xime fieri posse, qua non presentes solum, ve-  
rum etiam posteri de grati animi mei signifi-  
catione edocerentur. Statui igitur sub ve-  
stro nomine libellum hunc doctorum viro-  
rum iudicio & lectioni exponere. Qui si  
beneficiis vestris impar est, ut certe est, prom-  
tam tamen, ac paratam animi gratitudinem  
mihi non defuisse liquido innuet. Accipite  
ergo viri clarissimi placidissimo, quicquid  
huius est libelli, vultu, meq;, quod facitis ve-

EPIST. DEDIC.

stro favore, vestra promotione, vestroq; consilio adiuuare non dedignamini. Quod vos facturos, quæ vestra est erga bonos beneuolentia & humanitas, omnino dubius non sum. Hisce viri clarissimi, Mecænates obseruandi, vos vestramque familiam diuinæ protectioni commendo. Datæ Calendis Ianuarii Anni M. D. XCIII. quem nobis omnibus felicem & faustum precor.

V. Excell.

obseruantissimus

Ioannis Wecheli Typographi nomine

M. Zacharias Palthenius Fridbergensis, V. L. ἐργ. ἔν. 6.



Cic. 2. de Natura Deorum.

*Ægri, quia non omnes conualescunt, non  
idcirco nulla medicina est.*

---

P. Ovidius.

*Non est in medico semper releuetur ut ager:  
Interdum docta plus valet arte malum.*





*Autores, qui huic libello partem  
contulerunt.*

Antonius Froranzanus.	Lucretius.
Arabs Auenzoar.	Martialis.
Aristoteles.	Mattheus Curtius.
Augustinus.	Matthias Cornax.
Auicenna.	Nicolaus Massa.
Auctor introductorii.	Oribasius.
Beniuenius.	Ouidius.
Bombastus.	Paulus Ægineta.
Cicero.	Plato.
Cornelius Celsus.	Plinius.
Ennius.	Plutarchus.
Fallopianus.	Rhazes.
Fernelius.	Realdus Columbus.
Galenus.	Sacræ literæ.
Hesiodus.	Stephanus interpres Ga- leni.
Hippocrates.	Tacitus.
Hollerius.	Terentius.
Horatius.	Vesalius.
Iuuenalis.	

BRVNO.



BRUNNONIS  
SEIDELII DE MOR-  
BIS INCURABILIBVS  
LIBER.



VM Medicina ars esse definiatur, ad quam pertineat, amissam sanitatem corporibus humanis restituere, & tamen quotidiana testetur experientia, non omnes morbos sanari; dignum consideratione videtur, quibus de causis hoc ipsum fiat: Vtrum imperfectione quadam artis, vel culpa & inscitia medicorum, quorum nemo consummatum artis habitum adeptus sit, vel nimis dispari morborum, cum quibus pugnandum est, proportione ad opposita auxilia & remedia, vel simpliciter impossibilitate rei ipsius, vel aliarum rerum aut defectu, aut impedimento. Quæ enim est visitior querela, quam epilepsiam, apoplexiam, paraly- sin, elephantiasin, cancerum, phthisin, hydropem, podagram, febrem, hecticam, pestem, insuperabilia esse mala? Et duos præterea homines eodem, siue acuto, siue tardo etiam chronicoque, laborare morbo contingit, alterumq; sanitati restitui, alterum nulla ratione sanari posse. In quibus, quod eodem modo non curen-

C — A

tur certas causas exquirere oportet, non enim simpliciter ac semper culpa morbi aut medici solius esse potest, alioqui alter nunquam conualesceret. Dissentientes quidem hominum reperiuntur de hac re sententię. Nam aliqui experientiam quotidianosque euentus inuententes, fatentur esse quosdam natura sua insanabiles morbos, quosdam etiam alias ob causas desperatos fieri. Nonnulli contrariam opinionem amplectuntur, atque omnes per se curabiles esse volunt, & remedia cum condita in natura, tum reperta etiam vel reperiri posse contendunt, quibus vinci atq; abigi omnes queant. Imo eovsque procedere non verentur, vt vnicum quoque affirmant præparari posse medicamentum, quod vniuersis percurandis morbis sufficiat, quod tamen verum esse, vsu ipso nondum potuit comprobare quisquam, cum rationibus demonstrari multo minus possit. Neq; hi qui ita disputant sibi ipsis satis constare videntur, contra quorum sententiam fortassis in fine quædam dicemus. Hanc sane controuersiam his temporibus nouatores quidam mirifice vrgere atque exaggerare visi sunt, conuitiis tamen magis quam rationibus disputando. Nobis vero non affectu, non odio, studiove vlllo partium, sed rei ipsius veritate & certitudine argumentorum differere quædam de illa propositum est. Neque inutilis futura videtur eiusmodi tractatio, inde enim apparebit quam iniustæ calumniæ in medicos sæpe immeritos effundantur, dum in ipsos ægris morientibus omnis culpa confertur. Nam & qui solis medicis, & qui solis morbis causam omnem non conualescentium ægrotorum adscribunt, non paruo in errore versari videntur. - Intelligetur hinc etiam, quam non recte faciant imperiti homines, qui semper subitas curationes quærunt ac deposcunt, cum interdum ne possibilis quidem sit illa, tantum abest, vt cita etiam esse queat: Cuius exempla multa ac diuersa, & euentus

eventus cum causis consentientes, in sequente hoc discursu recitabuntur.

Etsi autem non quibusvis stultis vulgi atque rudium hominum opinionibus obuiam eundum est, cum sua-pte absurditate illę concidere soleant, tamen inter prudentiores etiam non semper recte iudicatur de hac re: quam vt totam rectius mente comprehendant, erudiri illos proderit. Videturque ę dignitate Medicinę esse, si facultates ipsius ac metę legitimę quę plurimis notę fiant & perspectę.

Posito ergo primū eo, quod evidens est, & omnium temporum fide atq; experientia probatum, tanquam certo ac indubitato, esse scilicet & non raro conspici morbos, in quibus curatio frustra instituitur; illud deinde inuestigandum occurrit, quot modis sint atq; dicantur insanabiles. Hac enim quęstione explicata, magnum aditum ad inveniēdas causas non sanati morbi patefactum nobis esse experiemur. Hinc itaque exordiamur.

Salubre, sanabile, ὑγιεινὸν siue ἰατὸν tametsi potissimum quidem ac proprie de corpore subiecto dicuntur, quod scilicet talem facultatem & potētiam habet, vt sanitatis habitum admittere ac recuperare possit: & secundum hanc rationem sic loquendum foret: corpora quę in morbo sint, non esse semper sanabilia: nos tamen, communiter hic loquendo, sanabile procurabili vel remouibili affectu corporis præter naturam generaliter accipiemus, vt etiam morbo compe-  
tat, tali scilicet quem possibile sit amouere, & qui actu sæpe amoueat, non tamē semper & necessario. Nam sic & Celsus latinissimus autor loquitur, & Galenus quoque 7. aphor. 37. σωτήριον πάθημα, τῶντι θεράπευθῶν δύναμιον, Sicut 2. etiam aphor. 42. ἀίατον πάθος dixit. Ouidius quoque scripsit: nullis amor est sanabilis herbis. Apud Græcos ὑγιεινὸν etiam de iis, quę vim efficiendi sanitatem habent, dicitur, quemadmodū Galenus πᾶσι ὑγιεινόν

scripsit, id est, de iis, quæ ad tuendam & conseruandam bonam valetudinem faciunt. Sic *Aristoteles testatur in Topicis*: ὑγιαίνον μὲν ῥητέον ἔ ποιητικὸν ὑγείας, ὡς οἱ πολλοὶ λίσσονται. *Galenus* indicantia signa etiam ὑγιαίνὰ appellauit, & in arte medicinali omnia hæc significata complexus est, ita scribens: *Etenim corpus sanitatem suscipere aptum est, & causam, quæ eandem efficere vel conseruare, & signum quod iudicare potest: hæc omnia ὑγιαίνὰ Græci appellare consueuerunt.* Sed nos ea, quam dixi, significatione hoc loco contenti sumus.

Incurabilem igitur morbum, vel insanabilem eum intelligi volo, qui neq; curatur neque tollitur, sed hominem eo affectum aut breui tempore interficit, aut alioqui perdurans ad mortem vsque comitatur, etiamsi sua natura non sit θανατηφόρος.

Insanabilis autem morbus vel per se talis est, id est, non capax curationis, vel *per accidens*, id est, causa alterius rei curationem non admittit. Hoc deinceps & particulatim & in vniuersum quoq; ostendere conabor.

PER SE insanabilem statuo, cuius natura & species simpliciter talis est, ut nulla arte vel ope humana sanari ipsum contingat, in quocunque sit ager & subiecto corpore, & cuius curati nullum vnquam nec fando, nec auditu, compertum sit exemplum: quanquam, ut medico, mihi etiam hos annumerare huc liceret, qui ut plurimum non curantur, sed tamen in hoc gradu tantum eos collocabo, qui τὸ εἶδός sunt eiusmodi, quales descripsi. Dixi autem ope humana: quia de medicis actionibus tantum, quæ naturales sunt ac naturalibus mediis perficiuntur, & homini, qua homo est, possibilibus, loquor: quæ scilicet per Chirurgiam, per pharmaca, per dietam administrantur, cum alia instrumentorum summa genera ars medendi non habeat. Nam quos Christus Saluator, Propheta & Apostoli curationes perfecerunt, eæ altioris facultatis & diuinæ virtutis fuerunt, neque medicinæ physicæ subiiciuntur, sicut intueri  
æneum



æneum serpentem fuit olim remedium supernaturale contra morsum serpentis. Non igitur cæcitas in cæco nato ideo sanabilis arte potest dici, quia à Christo fuit sanata, quod breuiter & semel monuisse hic satis sit. Excipio hinc etiam liberationes magicas & incantatorias omnesque superstitiones vetitas, quibus varie ludit Diabolus: illæ enim nulla ex parte in arte medicam admittendæ sunt, neq; ad eam pertinent. Neq; vero difficultatem aliquam hoc iniiciat nobis, vtrum simpliciter sua natura tales aliqui morbi existant, vt curationi suscipiendæ nunquam apti sint, & de iis ars aut methodus aut medicina nulla plane existat, sed sic facti ac constituti fuerint, vt contrarium in natura nullum habeant: an vero quorundam remedia contraria & alexipharmaca in natura extent quidem, quibus depelli ac superari queant, nondum tamen sint inuenta & cognita, ac proinde alio modo dicantur incurabiles quam superiores. Nihil opus est nimis subtiliter eiusmodi differentias persequi, cum id nulla vtilitate hic fiat. Sane quemadmodum *ignoti nulla cupido*, ita ignoti nulla ars etiam esse potest. Vtrumque igitur modum nos admittimus, si quidem nulla sanantur vulnera cordis ope, capiteque præciso immedicabile omnino malum est allatum corpori, neque habet natura quo hunc defectum in integrum restituat. Quis vero etiam naturæ vires adeo peruestigatos esse asserere ausit, vt remedia incognita prorsus nulla superesse atq; latere adhuc affirmet, quæ maximis morbis nonnullis opponi queant? Sic certe sua natura non erat simpliciter incurabilis lues Gallica initio, etsi diu ignorabantur remedia, quæ postea tamen inuenta sunt. Curatio quidem morborum omnis per contraria efficitur, & morbus non solum morbo, verum etiam sanitati & remediis contrarius habetur. Etsi igitur contrarietatem quandam singulis morbis oppositam esse verisimile est; tamen de hoc quæstio est, an contrarietatem illam siue contra-

riam *ἰατρικὴν* medicus vbiq; possit arte comparare & corpori aegroto semper conciliare vel reddere: hanc enim artis perfectionem partim ignotam adhuc, partim impossibilem esse iudicamus. Non satis namq; est scire, distorta esse ad rectitudinem reuocanda, & vulnera cordis consolidanda, si rectitudo restitui & consolidatio fieri nullo modo potest. Curariones quidem vniuersali methodo traduntur, in singularibus vero perficiuntur & in usum adhibentur: Atq; in his impotentiam curandi constituimus certis casibus & causis, de quibus hoc libro agere instituimus.

Eiusmodi igitur per se quidem incurabiles morbos merito appellandos esse censeo, quorum *ἄριστος* omnibus visum fuit temporibus incurabile.

*Per accidens vero incurabiles eos dico, quorum remedia certa & contraria secundum methodum uniuersalem & particularem non ignorantur, sed arte omnino sanabiles existunt, quoad naturam & species morborum istorum considerantur, quibus sæpius etiam in plurimis aegris curantur: sed tamen in hoc vel illo indiuiduo quædam interdum ad eos accedunt, quæ curam impediunt, vel impossibilem quoque interdum efficiunt. Sicut notum est, omnes naturales effectus esse contingentes, & à fortioribus repugnantibus causis impediri posse. Medicus igitur quoque non semper ex necessitate sanat sed contingenter, vt artifex scilicet imitator & minister naturæ.*

Hi igitur non sunt, sed fiunt incurabiles, ita vt illa *προσμίμνα* prioris generis *ἀνίσταται ὄντα*, hæc vero *γενόμενα* quodammodo dici possint.

Eiusmodi ergo capita plura sunt, ad quæ videntur talia accidentia siue accidentariæ istæ causæ referendæ esse, videlicet *Deus, incantatio vel maleficiũ, fatum, medicus, & minister huius pharmacopæus, morbus, aeger, adstantes exteriora & casus*. Ac si quæ fortassis sunt alia, ad iam dicta reduci satis commode poterunt, tamquam ad cõmunia quædam genera, quæ vtcunq; varietatem & infi-

& infinitatem accidentium complectantur. *Hippocrates* 1. *libr. de morbis* tertium genus addit, *ἐνδιδιασῆς*, de quibus circa finem plura dicam.

Prædictas itaque rationes & conditiones morborum ordine deinceps explicandæ erunt, & exemplis declarandæ. Ac primum de iis verba faciamus, quos per se incurabiles esse diximus. Cumque tria sint summa morborum genera, in intemperie, in conformatione, in soluta unitate, in omnibus istis quædam immedicabilia reperiuntur. Vbi statim se offerunt plurimi morbi hæreditarii & congeniti omnis generis, quos ex utero materno infantes nati secum adferunt, in quibus scilicet natura ipsa circa primordia vite aberravit, vel in infelici & maligna temperatura, vel in vitiosa compositione aut diuisione partium, illarum præsertim, quarum est aliquis magnus usus, à quibus morbis nunquã tota vita sic in lucem editi penitus se explicent. Talis est cæcitas natiua. Nunquam enim auditum est homini cæco nato apertos fuisse oculos: *Ioan.* 9. hoc est, cui habitus facultatis visuæ defuit à primo exordio. Nam interdum nascuntur infantes non apertis neq; diuisis palpebris, sed clausis & concretis, quibus non ipsa facultas aut principale organum visionis, sed tantum conformatio instrumenti iusta deest. Hæc si incisione & arte restituatur, tum actionis visuæ per accidens læsæ impedimento remoto, visionis *ἐνέργεια* libere & recte exerceri potest. Idem de sermonis priuatione in iis, qui muti nascuntur, sentiendum est, quæ si non in ligamento aut vinculo linguæ: sed vel in facultate, vel in principali organo (quod ipsum etiam ad facultatis rationem pertinet) consistat, nunquã arte tolli poterit. Facultates enim à principio deficientes, siue postea amissæ ac perditæ, nunquã restituere per artem medicam fas est. Quis enim det vocem nedum sermonem homini, si pulmonem non habeat, aut laryngem non iuste temperatam & conformatam? Eadem ratio est surditatis cõgenitæ, & monstriosi defectus



partis alicuius. Vnde in hac re causa physica quoq; est, cur monstra non diu soleant superuiuere, postquam in lucem sunt edita, ac tanto breuiore tempore uiuant, quanto magis morbos in numero vel deficiente vel abundante, aut in positu figurave circa principalia viscera patiuntur. Ita qui gibbosi nascuntur, incorrigibilem habent spirandi difficultatem & alia incommoda. Capitis certe figura tanti momenti est, vt actiones cerebri sensuumque interiorum multum inde incommodi sentiant, nisi sit naturalis atque vsitata. *Hippocrates* scribit quosdam Macrocephalos appellatos compressisse & vinculis adstrinxisse infantium nuper natorum capita, vt exiliora & longiora fierent. Ea consuetudo tantum effecit, vt eiusmodi figura capitum permaneret in adultis quoque. Temporis vero progressum natura etiam tales produxit, vt necesse non esset cōsuetudine priore cogere. Ex quo apparet maximam vim in naturę primordiis positam esse, qui si plurimum à iusto modo ac medio recedant, nemo facile corrigat, licet partuus excessus in infantibus forte corrigi queat: ac dubitari interdum potest, fuerintne infantes eiusmodi sic formati, vel ex mala tractatione obstetricum in difficili partu ad tale incommodum deducti. Sic qui insigniter distortis manibus vel pedibus nascuntur, nunquam istius morbi molestias in apprehendendo & ingressu euitant.

Sed nihil opus est singularum partium corporis vitia talia morbosa enumerare; ex vno enim aut altero exemplo, quo res proposita declaretur, de similibus aliis iudicium fieri poterit. Non enim præcise omnes morbos hæreditarios specie sua incurabiles asserimus, sed quosdam, quos videlicet experientia tales esse demonstrauit. Epilepticos infantes genitos ex epilepticis parentibus, etsi non ausim affirmare plane necessario tali morbo semper affligi vel exingui, rarissime tamen vitales esse, aut diu admodum superstites credo,  
& recte

*De morbis incurabilibus.*

& recte ad hanc classem reponi existimo caducū istud malum à natiuitate & semine parentum adhærescens. Nam & exempla quotidiana & testimonia grauissimorum autorum testantur, comitalem morbum etiam non hæreditarium sæpe nullis remediis mitigari, nedum tolli posse. Quid dicam de elephantiasi ex utero matris elata? quid de calculosa & podagrica dispositione, quæ etsi aliquando summa cura & victus accuratissima obseruatione non nihil subleuata esse videntur; nunquam tamen procliuitas ad ista mala penitus eximitur, quin leuissimo etiam errato commisso illa redeant. adest enim & inhæret congenita impotentia naturalis ad sanitatem integram. Multo minus defectus originalis membrorum arte restitui potest. Finge enim natos esse aliquos vnoculos, quales ait *Plinius* fuisse Arimaspos, aut vnico crure, quales Monoscelos & Sciopodas olim dictos esse idem testatur, quod in maiori æstu humi iacentes umbra se pedum protegerent: aut nullo ore præditos, qualē circa fontem Gangis Astomorum gentem, halitu tantum & odore naribus attracto viuentem, describit: Quem quæso artificem reperias, qui his alterum oculum, vel pedem, vel os adiungat?

Docendi causa tantum hæc exempla adduco, non quod fabulosis istis fidem habendā esse censeam. Quid quod nec coloris natiui alteratio possibilis est? alioqui deformes puellæ fucō nullo indigerent. *Byzantinus* quidam referente *Plinio* fuit, qui adulterio Æthiopis nata matre nihil à cæteris colore differente, ipse auum regenerauit athiopem. Huic ergo colorem nigrum, qui in album mutare conaretur, nonne insanus fuisset? Inde certe prouerbum extitit, quo athiopem lauare dicuntur, irritō ac stulto conatu rem impossibilem suscipientes.

Longe igitur minus congenita fatuitas & naturale ratiocinationis deprauatæ vitium, quale in Claudio

puero Imp. Augustus & mater Antonia esse crediderunt, emendari perfecte ac tolli poterit: siue ex temperie præternaturali, siue ex conformatione cerebri morbosa principium duxerit, siue ex diuturna consuetudine etiam introductū à primis annis fuerit, quemadmodum miseri priuigni sæpe educantur miserrime à nouercis, & hebetioris ingenii stupidioresque pueri in aulis ad absolutam amentiam, etiam data opera, sed ingenti peccato, traducuntur, quæ deinde consuetudo in naturam abit atque habitum. *Fernelius* exemplū recenset viri cuiusdam Senatorii ordinis, qui ex coniuge sana liberos omnes susciperet surdos atque mutos. Nec raro reperiuntur, quibus natiuum in intestinis hoc vitium est, vt meatus alicubi angustior, quam par sit, existat, & tunicæ ferme inuicem cohæserint, vel alias etiam expellendi virtutem debilissimam habeant, adeo vt sex vel decem diebus vix semel excrementa alui deicere possint. Hoc malum etsi notas aliquas & coniecturas de se præbet viuente adhuc homine, certius tamen post mortem sectione cognoscitur. Existis nonnulli, quamuis nihil non experti essent, nullo tamen adiumento naturam illam mutare potuerūt, quanquam fieri potuit, vt longiore consuetudine prauis victus incommodum illud in quibusdam exasperatum & auctum fuerit, antequam ad auxilia confugerent.

Magna igitur vis est in semine & prima hominis origine, hic tota facultas formatrix viget; hinc prima rudimenta hominis qualia incoantur, talia perpetuo permanent; hinc natura datur & essentia, quam mutare non est opus humanum; hinc exoriētes proprietates, tum substantiales, tum accidentariæ, hominem vsque ad vitæ finem concomitantur.

Quare non audiendi sunt, qui omnia morborum genera auferri semper posse ex hominum corporibus saluo indiuiduo existimarunt, etiam si aliud argumentum

tum

tum haberemus nullum contra ipsos, quam ex manifesta experientia morborum quorundam hæreditariorum collectum. De intemperie recitat exempla *Plinius*, his verbis: *Quibusdam perpetua febris est, ut C. Mecænatii. Antipater Sidonius poeta, omnibus annis uno die tantum natali corripiebatur febre, & eo consumtus est satis longa senectus.* Non autem vero simile est, nihil hos tentasse quo liberarentur. *Beniuenus* profus similem casum descripsit. *Quidam Ioannes architectus, inquit, singulis annis stato die, hoc est, quo natus fuerat, febre implicabatur, quæ ex putrescente bile genita suum circuitum seruans quartum & decimum non transgrediebatur diem, donec senio confectus, & eadem ex more implicitus febre, natali suo die vi morbi prostratus natura concessit.* Verum morbos hos forte, non ut in specie, sed in indiuiduo, incurabiles aliquis dixerit; tamen profecto, quo modo in his conspecti sunt, quin eodem in aliis etiam oriri possint, nihil obstat. Sed perfectiora tamen exempla alia producemus. *Marasmus* igitur torridus non possibilem curationem habet, nisi *Deus* voluerit, quem admodum testatur præter cæteros autores etiam ipse *Auicenna*: cuius causam cui medico erudito ignotam esse putemus? Idem sentiendum de ægritudine illa, quam hæcticam senectutis vocant, quando est confirmata. Tum enim non curatur, nam si esset ei ingenium, id est, remedium aut via curandi, esset morti ingenium, inquit idem *Auic.* Quod si adhiberetur quandoque remedia, non alio istud fit fine, nisi ut interitus aliquantisper differatur, & vitæ miseræ aliqua mora adiiciatur. Audi etiam *Gal. 10. Meth. 10.* ubi scribit: *Indicauimus prius in huius operis septimo, tum in libro de Marasmo, tum in libris de tuenda sanitate, fieri non posse, ut solidarum partium siccitas consummate sanetur: & si fieri id posset, utique fieri posse, ut non senesceret, qui ea virtus ratione uteretur.*

Neque ex hoc numero eximere possum febrem pe-

stilentem validiorem. Tametsi enim præseruationis & curationis modos nequaquam contemno aut reicio, cum sæpe multum iuuent, in vehemente tamen malignitate eius credo neminem, nisi ope & voluntate Dei singulari, seruari, vtcumque falsis laudibus & ad ostentationem magis, quam veritatem, confictis præconiis antidota quædam vulgo extollantur. Idq; præsertim fieri statuo, si pestilentes febres sint eiusmodi, quæ statim à principio hecticæ fiant ex maligna aëris putredine. Quomodo enim aut quibus præfidiis homunculus tantillus resistere possit aëri vniuersaliter ac pessime infecto, cuius insignem quantitatem cōtinuo singulisque diebus haurit, per plura etiam loca, per palati & narium foramina ad cerebrum, per asperam arteriam ad pulmones atque cor ipsum, per oscula cutis in ambitu totius corporis ad arterias, quæ tandem etiam ad cor correptum venenum effundunt. Quam igitur excogites (*Galeno ipso quærente 3. præcog. expul. 2.*) medicinam ad putredinem, quæ cor occupauit?

Quare & veteres vnanimi consensu idem fassii sunt, & *Lucretius* de horribili peste Attica vere dixit: *Misfabor tacito medicina dolore.* Quare si aliqui euadunt interdum, id non nisi in miti ac lenta peste accidit, ac rarius omnino ope pharmacorum. Fuga autem remedium est *ἀρεχτος*, non enim curatur, qui peste nondum correptus est, sed cauendi ac præseruandi tantum causa fugit. Apoplexiam quoque, cum ad eum statum & quasi speciẽ deducta est, vt spirationẽ adimat homini, soluere impossibile esse *Hippocrates* affirmat 2. *Aphor. 42.* Huic etiam ego obediens (*inquit Theodorus Prisc.*) hos sic suadeo visitari, vt eos, quos sine sensu penitus inspexero iacentes, & nimium frigidos, anhelantes tantummodo, plena eos desperatione pronunciem. Huc referenda sunt morborum genera ex venenis manifestis ac violentissimis contracta, quibus nullo modo resisti potest, cum ipsorum forma & vis toto genere per-



re pernicioſa ſit, & vitæ plane inimica atque contraria, implorabiliq; diſſidio illam intro admiſſa tamdiu oppugnent, donec mortem tandem inferant, alia citius, alia tardius. Puellula quædam cum ſitiens caſu arripuiſſet lagenulam, in qua aqua fortis, cuius uſus eſt in metallorum & auri ab argento ſeparatione, aſſeruabatur, bibit illam, & diris miſerandisque cruciatibus periit. Nihil, ut arbitror, in natura rerum indagatum eſt hætenus, neque reuelatum, quod in tali caſu opem adferre potuiſſet, & vim iſtam aquæ corroſiuam prohibere, vel eroſas partes ſanare. Exempla plura commemorare non libet propter multas cauſas, præcipue autem propter pericula abuſus. Peritis & exercitatis medicis non deerunt tot etiam, quot optandum erat nunquam conſpici neque audiri in genere humano.

Cæterum morbi etiam in numero perfectè deficientes, nunquam in integrum reſtitui poſſunt, veluti cum oculus effoſſus eſt, vel auris abſciſſa, & à communitate ſpiritus caloris vitæque penitus ſegregata; ita ut cum principiis vitæ nullum amplius commercium habeat, animæque organum eſſe deſierit. Fabulæ enim abſurdiſſimæ ſunt, quæ de oleis quibuſdam circumferuntur, quæ abſciſſas & reſectas partes mortuasq; corpori uiuo agglutinent reſtituantque. Ad tempus aliquod cohærent fortassis, viuere autem & animatæ fieri nequeunt, ſed corrumpuntur. Dei vero iſta potentia eſt ſolius, quemadmodum Chriſtus Malcho præciſam aurem reſtituit.

Iſtis iam ſuccedunt ſolutiones continui notabiles in principalibus viſceribus, quæ omnium tam veterum, quam recentiorum medicorum conſenſu lethales eſſe ſolent.

Etenim ſi totum corpus eſt *σύνπεπλον* & *σὺρρῶλον*, ſecundum Hippocratem, ut vna aliqua inſigniter læſa nunquam fiat, quin conſenſus etiam alias attingat, neque in illa ſola præciſe contineatur & terminetur affectio

aduersa, quid de principibus cogitandum, ad quas reli-  
quæ respiciunt vniuersæ, à quibus dependent, alimen-  
tum, vitam, sensum, motum habent? Nunquam igitur  
sine certa pernicie cordis aut cerebri, vulnera præser-  
tim magna & profunda, conspecta fuere, & quarūdam  
quoque aliarum partium, de quibus extat Hippocratis  
sententia talis, 6. Aph. 18. Κύστιν διακρῆντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρ-  
δίαν, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτήτων, ἢ κχιλίην, ἢ ἥπαρ, θανά-  
τῶδες. quem locum Cornelius Celsus lib. 5. his verbis in-  
terpretatus est: *Seruari non potest, cui basis cerebri, cui  
cor, cui stomachus, cui iecinoris portæ, cui in spinæ medulla  
percuissa est, cuique aut pulmo medius, aut iciunum, aut  
tenuius intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati  
sunt, cuive circa fauces grandes venæ vel arteriæ præcisæ  
sunt.* Et paulo ante, hanc commonefactionem præmit-  
tit idem autor ad medicos: *Est prudentis hominis, in-  
quit, primum eum, qui seruari non potest, non attingere.  
Deinde ubi gravis metus sine certa tamē desperatione est,  
indicare necessarius periclitantis in difficili spem esse, ne si  
victa ars malo fuerit, vel ignorasse vel fefellisse videatur.*  
Libro 1. etiam de morbis Hippocrates hæc habet:  
*Nervus præcisus ac dissectus non coalescit, neque aliquod  
ex tenuibus intestinis, neque vena sanguiflua.* Item ante  
hæc: *Necessitatem talia habent, ut fiant hæc cum ipsa fi-  
unt, velut verbi causa, in vulneribus eos, qui crassos nervos  
sauciatos habent, necesse est claudos fieri, itemque si mascu-  
lorum capita saucia sint, præsertim eorum, qui in femori-  
bus sunt. Moritur autem si quis cerebro sauciatus fuerit,  
aut spinali medulla, aut hepate aut septo transuerso, (in pri-  
mis parte eius nervosa, Gal. 5. Meth. 9.) aut vesica, aut  
vena sanguiflua, aut corde.* Cur autem & quomodo  
vulnera harum partium perniciem ineuitabilem adfe-  
rant, non est huius loci copiosius explicare.

Etsi autem supra ita descripsi eiusmodi morbos, de  
quibus hic agitur, quod eorū curatorum exemplum  
fuerit visum nullum, non obstare huic videtur, quod  
inter-

interdum nonnulli ex iam commemoratis euaserunt: rarissimum enim id est, & Dei potius voluntati auxilioque immediate adscribendum, quam artis medicæ beneficio. Quemadmodum *Galenus* ipse 8. us. part. 10. admirabile atque incredibile spectaculum id vocat, quod Smyrnæ in Ionia accidisse refert, ubi adolescens, vulnere in alterum anteriorum vetriculorum cerebri accepto, superstes tamen fuit & seruatus est. Admiramus ea quidem, quorum causæ ignorantur. Nullam vero causam habuisset *Galenus*, cur admirabilem atq; incredibilem rem appellaret, si curatio talis vulneris esset methodica, & in natura possibilis. Neque diserte affirmat arte curatum hominem fuisse, sed simpliciter inquit, superstitem modo vixisse, cum hoc loco, tum etiam 6. Aph. 18.

De corde etiam recentiorum aliquot obseruationes à veterum opinione dissentiunt nonnihil, in quo quidem, cum fons vitæ nostræ sit repositus, nonnulla de eius affectibus morborum docēdi ignaros gratia addemus. Veteres stante vita nullum grauiorem morbum cordi accidere posse existimarunt, quam intemperiem, repletionem, tremorem, palpitationem, synopen, & id genus morbos alios, vel ex materialibus causis & sanguinis humorumque vitiis, vel ex qualitatibus primis manifestis, ac flatu halituve, vel ex malignis qualitatibus, seu viribus venenatarum causarum, si non sint illæ validissimæ. Vnde *Plinius*, & ante ipsum *Aristoteles*, adfirmat, quod cor noxas aut graues affectiones nullas citra vitæ discrimen & animalis interitum sustineat, sic inquit: *Solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit, lesumq; mortem ilico adfert.* Causa apud philosophum est, quoniam vitæ principio perduto nihil restet, vnde auxilium habeant, & conseruationem reliqua, quæ ex hoc principio dependent, cuius sententiæ signum adfert ad experientia sumtum, quod scilicet in nullo animali propter

sacrificia interfecto, aut alias occiso dissectoque, unquam conspecti fuerunt affectus morbidi in cordis substantia, quales in aliis partibus sæpe reperti, utpote lapides & phymata in renibus, epate, pulmone. Pulcerime etiam explicat causam cum Aristotele consensientem Galenus in 5. de loc. aff. In 6. vero Aph. 18. sic scribit: *Quod cordis vulnus mortem necessario adferat, unum est ex iis, quæ in confesso sunt apud omnes. nam diaphragm in hoc ex septo transverso glutinari nequit ob perpetuum eorum motum.* Idem 1 loc, aff. ait: *Impossibile esse, ut abscessum cor sustineat.* Recentiores tamen medici quædam annotauerunt exempla passionum eiusmodi cordis non leuium, quas sustinuerit aliquando diu viuente homine. *Beniuenius* in muliere vidisse se scribit frustulum nigrioris carnis in sinistro ventriculo supra arteriam, quod mespili formam haberet. Idem furis cuiusdam corpus in sinistro cordis ventre abscessum pituita redundantem habuisse narrat: Et aliū hominem ictum in cordis tunica conualuisse ac superuixisse; quendam item alium post obitum dissectum in sinistro cordis ventriculo obduratum habuisse nucis magnitudine callum. *Cardanus* sic sentit: *Vulneratos corde ad viginti quatuor horas viuere, si non ad ventriculos vulnus penetrauerit, tunc enim statim mori, ex scirrhus autem diu superuiuere posse.* *Vesalius* tradit, reperitam esse post mortem nobilis cuiusdam viri inter secandum in sinistro ventriculo cordis eius miram glandulosæ carnis molem, quam diu gestauerit viuus absq; alio tristi sensu doloréve cordis. *Fernelius* in quodam, qui sensim contabescens de medio tandem sublatus est, tria vlcera in corde reperit, non parum caua & sordida, multo ante iam tempore contracta. Nonnulli vermes circa cor nasci posse, idque arrodere, audent asserere. *Nicolaus Massa* adfirmat, testibus etiam magnis nominatis, qui simul conspexerint, in anatome animaduertisse se, in dextro cordis ventriculo, notabile aposte-

apostema ascendens vsque ad vnū hostiolorum, quod ipsum quoque apostemate affectum fuisset, præterea totam auriculam sinistram cordis vlceratam cum sanie manifesta, eundemque hominem dum viueret nūquam conquestum fuisse de aliquo dolore, qui tandem non ex hac causa, sed ex capitis vulnere decesserit. *Matthias Cornax* testatur quendam bibliopolam eo anno, quo mortuus sit multa ac crebra animi deliquia esse passum. Post mortem autem (qua subito extinctus fuerat) aperto pectore inuentam fuisse mediam cordis partem saniosam putredineque absumtam, quæ putrefactio in exiguo tempore tam calidum membrum adeo exedere non potuit, vt fere necessarium sit credere, longius ipsam perdurasse. *Realdus Columbus* iuuenem secuisse se refert, cui totum pericardium defuerit, qui quidem subinde in animi deliquiū antea incidens mortuo similis conspectus est, ac tandem isto calamitatis genere exanimatus. Tumores sane istiusmodi, atque vlcerationes sensim factæ, mitiores esse potuerunt, quam vulnera sunt, sed tamen consideratio etiam horum exemplorum est res horrenda.

Ac tamen si de fide eorum, qui talia memoriæ prodiderunt, dubitare non decet, tamen contra nostram sententiam nihil ista exempla faciunt, verum stabiliūt potius eam ipsam, qua de causa libentius etiam recitavi. Neque enim pronunciant curatas fuisse has affectiones, aut curari posse, (excepto vno vulnere, quo tamen cor ipsum læsum nō fuit) sed potius ob id ipsum insanabiles esse ostendunt, quod non nisi extinctis hominibus demum cognitæ fuerunt. Sicut non dubium est à multis aliis morbis homines infestari, quorū certa & pathognomonica signa nulla habeamus. quis enim agnoscere queat viuo homine lapides in hepatis aut pulmonis substantia genitos? quis in pectore pulmone aut ventriculo vermes inusitatae & prodigiosæ figuræ, antequam scilicet eiiciantur, & in conspectum

veniant? quis tumorem intestinorum vermibus plenum, qualem *Fallopius* aliquando reperit? quis scorpium in capite? de quo *Hollerius* meminit, nisi fallor.

Ex qua re factum est, ut præceperint principes medici, diligentissime de periculis hominum cogitantes, in dubiis eiusmodi casibus utendum esse remediis communibus & tutis, quæ prodesse aliquantum, nocere autem nihil possint; agnouerunt enim propria & convenientissima tum ignota esse solere: quod ubi sit, ignota quoque ut sit curationis vera & legitima ratio necesse est. *Gal. 6. Aph; 18.* docet, vulnera ventriculi graciliumque intestinorum ideo percurari non posse, quia medicamenta applicari non possint ad locum ipsum affectum. Eodem modo & renum ulcera, quia in procul remotis, à loco, quo medicamenta intro assumuntur, partibus hærent, vim remediorum integram non accipiunt, & proinde insanabile existimantur.

Huius generis est ruptura maioris venæ aut arteriæ circa abdita & interiora viscera, cui manum admouere non licet. Situs enim & locus iste in potestate nostra non est, sed quadam naturæ necessitate continetur. Nihil hoc casu ad curam perfectam faciunt ista, quæ exhibentur, ut sanguis ne in grumum concreascit, aut ut concretus iam dissoluatur & expellatur, quæq; sanguinis fluxum sistunt, & similia alia, sed glutinari diuulsas partes oportet, quod perficere ars non potest. Mitigare malum quædam, & differre interitum aliquantisper possunt, sanitatem præstare non possunt. Huc quoque fistulæ quædam annumerandæ erant, ut quæ penetrant ad cavitatem thoracis, ad nervos magnos, ad intestinum: omnem enim curam respuere videntur, quia intestinum sectum non consolidatur. Si tamen sectio tentetur, utcunque ea bene procedat, secabitur simul sphincter & resoluatur, egredienturque fæces præter voluntatem: quæ grauiora sunt quam fistula ipsa. Nec staphyloma, vel clauialis prociencia, cum exitu vena oculi

culi tunica, curabilis est affectio, perinde ut etiam album oculi, cum totum exit propter vulnus vel vlcus, non enim tum restituitur oculus, quin cæcitas subsequatur. Exemplum diuersum à *Gal. 4. caus. Sympt.* adductum multis suspectum est, & ille ipse incredibile id vocat, humorisque instauration non arte, sed à natura est facta, si facta est.

Sic neque *γλαύκωμα* curatur, ut cunque Plinius contra id recenseat ab aliis commendata auxilia. Sectione quidem plura mala corporis tolli possent, sed sectio in omnibus partibus corporis absque læsione & periculo vitæ perfici non potest. Nam si calculus vesicæ ita eximitur, ut homo moriatur; illa profecto curatio non erit. Et si glaucomatis curatio per sectionem sic instituat, ut vel oculus plane excæcet & corrumpatur, vel alius morbus in prioris locum succedat, neque ista curatio expetenda fuerit.

Cancer confirmatus præsertim, & ulceratus (scirrhus item confirmatus) à quo percuratus sit, neminem adhuc fuisse credo: quantumuis nonnulli magna impudentia vanitateque curati huius gloriam sibi arrogarint. Et audiui idem affirmantes excellentissimos medicos ac senes, quorum nonnulli ultra quadraginta & quinquaginta annos artem exercuerant, & quidem in Italia his locis, ubi Medicinæ rectus vsus ac dignitas plurimum excolebatur, magnoque æstimabatur. Excisi etiam cancri eiusmodi in exterioribus membris tamè recruduerunt, ac nonnunquam redierunt sæuiores, quam initio fuerant. *Vide Galenum 6. Aph. 38.*

Ulterius à phthisi correptus proprie sic dicta, quæ cum pulmonis exulceratione coniungitur, sanitatem recuperare non potest, quoniam situs remotior & motus perpetuus impediunt, quo minus medicamenta idonea statim vel in tempore pulmoni applicentur, & vlcus consolidetur. Ac valde latens & abditum hoc vitium est, præsertim in principio (ubi aliquando opem

adferre licet vlceribus pulmonum ) quod ipsum rei periculum vehementer auget. Vnde *Ouidius* ab experientia edoctus vere hoc scripsisse omnium approbatione iudicatur:

*Cernis ut è molli sanguis pulmone remissus,  
Ad stygias certo limite ducat aquas.*

In eundem sensum loquitur *Galenus* 4. loc. aff. nō procul à fine: *Externas putridas partes abscindere & v-rere possimus, pulmone vero horum auxiliorū neutrum adhibere licet. Quapropter omnes sic affectos perire necesse est.* Idem fere dicit 7. Aphor. 37. in libr. 5. meth. 8. cap. scribit: *Vlcera pulmonis & vasorum eius in principio glutinari posse, sed si ea semel phlegmone inuasit, exiguam spem esse illorum glutinandorum, in longius tamen extrahi posse tempus.* Et ibidem: *Non igitur propterea, quod in perpetuo propter respirationem motu hoc viscus est, desperata curatio est, sed propter saniei ac puris vacationem, quæ scilicet fieri non potest per pulmonem: Quamquam fatetur motum valde etiam impedire. Non enim agites si qua coire velis.*

ΣφάκελⓄ vel sideratio (Germani frigidum ignem appellere solent) qua partes aliquæ corporis humani nonnunquam corruptione perfecta emoriuntur, sensu, motu, vitaque omni destitutæ, malum est immedicabile, quod *ense recidendum est, ne pars sincera trahatur*, quod vltimum est in hoc casu vitæ conseruandæ præsidium. At vulgus quidem, tum putat laborantem sanationem consecutum esse, si vita non vna extinguatur, & pars mutilata cicatrice obducatur. Sed quæ hæc est sanitas, cum morbus in numero deficiente perpetuus relinquatur, qui & actiones lædat, & insigniter lædat? Ita si quis res acutas deglutiat, vt acus (quod fœminæ cuidam Italicæ, dum sese vestit atque exornat, contigisse ex *Antonio Froranzano* medico magni nominis audiui) quis tales eximat? Si purgantia aut vomitoria aut diuretica des, metus erit, ne parte  
acutio-



acutiore infixæ sensibilibus partibus maius periculum creent.

Non igitur curatio tum suscipienda est, quæ fieri arte nulla potest, neque spe probabili aut bona, nisi Deus, aut casus felicior aliquis ita euentum cum salute procuret, vt natura ipsa protrudat per regiones conuenientes absque noxa acus æreas vel similes res alias: Vt quidem sane interdum eiecit innoxie per abscessum foras apertum, aut per secessum, aut per vrinas admiranda profecto circumductione, per ventriculum, intestina superiora, venas mesaraicas, venam portæ, hepar, venam cauam, venas emulgentes, renes, vretes, vesicam, idque exiguo temporis spacio, vt verisimile non sit acus viam aliam perforando sibi quæsiuisse. Sed artis tamen ibi nulla efficacia, quod probare hic volumus.

Cõuulsio ex siccitate nimia periculosissima est, vnde *Hippocrates* dixit: *Febrem conuulsioni superuenire melius esse, quam si contrarium eueniat.* Nam si febrem illa sequatur, intemperie siccæ præcedentis argumentum erit, quæ aut nunquam, aut rarissime in statum iustum restituitur. Quamobrem propemodum immedicabile esse malum pronunciat *Galenus*.

Sed si quis hunc affectum, & quosdam fortassis alios, in numerum simpliciter ac specie incurabilium nõ recipere volet, non admodum repugnabo. Adhærent enim quibusdam limitationes certę, non omnino à spe salutis alienæ, quas minime repudiandas censeo, cum optandum utique sit, quam paucissimos relinqui morbos incurabiles. Illud tamen constat, in multis ac plerisque corporibus esse hos natura sua insanabiles, quod proposito nostro demonstrando sufficit.

HÆC IGITUR dicta sint nobis de incurabilibus per se morbis, quorum exempla satis multa absque dubitatione ad hanc classem pertinentia hætenus recensuimus.

NUNC ad eas transibimus causas, quibus fit interdum, ut morbo sua natura salubri auxilium tamen adferri, & infanitas ex corpore auferri non queat. Cuius probatio eulentissima ab experientia sumitur, cum nihil sit frequentius, quam morbos multos non curari, *καὶ θεοπραξίας μὴ τυχεῖν*, ut loquitur Galenus, quos tamen in aliis quamplurimis sanari contingat, cum homo aliquis extinguatur ægritudine, à qua infiniti alii fuerunt antea liberati. Huiusmodi morbos *per accidens incurabiles nominamus*, quorum plures causæ sunt, quas ad certa capita & genera reduci aliquo modo posse supra monuimus. Non enim simpliciter sua natura incurabiles existunt, sed impeditenti & accidentis cuiusdam tantummodo gratia curationem aspernantur, cum alioqui quod ad spem illorum attinet, soleant sæpius & plerunque curari, quod quidem accidens non necessario, sed raro adest, & ut plurimum aut voluntate, negligentia, vitio, culpaque hominum, aut casu quodam, sanitati reducendæ impedito est. Errata quoque in hoc genere commissa eiusmodi sunt, ut sæpe vitari queant à peritis & diligentibus. Solam ætatem & Dei iudicium in potestate non habemus, & tamen in ipsa ætate etiam plurimum efficit ars medica pro abigendis morbis, qui per se insanabiles non sunt, neque omnem operam in curandis senibus ludit.

Casus vero est causa *ἀβέβαιος*, quæ sub artem non cadit. In reliquis quæ ad ægrum, medicum, pharmacopœum, & adstantes pertinent, pleræque sunt *ἐκ τύχης* infortunia, adeo ut morbi manifesto protrahantur, exasperentur, & in deterius eorundem culpa vertantur.

Itaque inter hæc genera, quæ supra enumerauimus, primo loco collocamus DEVM seu FATVM, seu ut nonnullis loqui libet PRÆDESTINATIONEM DIVINAM, plerumque occultam & abditam nobis, ante euentum præsertim. Quæ causa cū præsto est, & mori hominem iubet, aut ex morbo cõualescere vetat, quid  
huic

huic quæso opponendum est, cum sit omnipotens? Hanc considerantes medicos nonnulli false deridere solent, sed minime ego ridiculum esse censeo, idq, nisi me fallit opinio, demonstrabo.

Docet nos vox cœlestis tolli iustos voluntate Dei, ne videant ventura mala, & puniri etiam impios ac sceleratos breui vita, quemadmodum *Psalmus 55. inquit: Viri sanguinum & dolosi dimidium non attingent dierum suorum.* Hoc modo Deus Antiochum, & Herodem, & filium regis Ieroboam insanabilibus morbis afflixit: Vsiam item, quod contra legem sacrificaret lepra, Syllam phthiriali: Ioram regem Iudæ cruciatu intestinorum lethali. Multi in periculis ac doloribus constituti consulunt magos, & Deus postea punit vel morbo insanabili, vel morte, quod accidit Ahasiæ regi Israelitico. Ita ergo fieri potest, vt certo consilio Deus non velit ægrum conualescere aliquando, vel quod ablatione vitæ eū vult punire vt impium, vel liberare vt pium à peccatis & malis impendētibus. Vt enim præter spem hominem interdum seruat & sanat, ita præter spem etiam mori iubet, ac iubente ipso quilibet exiguus morbus fit exitiosus & lethalis. Iobum à Satana afflictum miserrime, eo vsque, vt à vertice capitis vsque ad plantam pedis non esset pars sana in eo, sanum fecit Deus. Christus etiam multos cæcos, surdos, leprosos, claudos, mutos, paralyticos, lunaticos, mortuos curauit & resuscitauit.

Econtra, quis à Valente Imper. tremorem manus, cum subscribere non posset decreto, quo exulare iubebat, *Basilium* propter Arrianos, remoueret? aut quis restitueret manum Ieroboam regis, extentam contra Prophetam, torridam & rigentem? Quam claris verbis inquit Moses ex ore Dei: *Percutiam te plaga Ægypti, & ulcere atque scabiæ insanabili!*

Huc addo etiam exempla, quibus mediate Deus punit scelera & peccata hominum. Immedicabilis fuit

ope humana cæcitas, qua Elymas magus Paulo Apostolo mandante correptus est. Quæ etiam vis humana Heliodorum percussum ab angelis conseruaret? Vt enim miraculosæ sanationes per homines sanctos deoque plenos aliis sunt inimitabiles, quo modo Heliseus Naaman Syrum à lepra liberauit, & Petrus claudum ex natiuitate ambulare fecit: ita miraculosæ afflictiones morbidæ (nam de his tantum nunc agimus) per eosdem à Deo immissæ, etiam incurabiles sunt aliis ope naturali.

Hanc autem causam non semper agnoscimus immediate & à priori, neq; est sane illa prætexenda ignauiæ & inscitia & auaritia, vt si homines, vel metu sumtum faciendorum, vel peruersitate morum remediis non vsi, vel imperitia medicorum nõ recte curati, moriantur, semper confugiendum huc putemus, quasi perpetuo Dei voluntas talis fuerit, quæ hominem restitui noluerit: Sed quando omnia, quæ fieri potuerunt ac debuerunt, rite facta adhibitaque fuerint, & tamen perstet aut interimat morbus, tum demum recte ac pie statuendum est, ita Deo visum fuisse, ne æger ex illo euaderet, & patienter Dei voluntati nos subiiciamus, cum sciamus, capillos vniuersos capitis nostri numeratos esse, nec quenquam exiis defluere absque voluntate patris cœlestis.

Hoc nisi ita fecerimus, in periculo versabimur peccati eius, quo tentatur Deus. Vult ille nos laborare, in officio diligentes esse, vt re & arte medica, vitam non negligere aut sponte abiicere. Deinde vult nos etiam non confidere nimium præsiidiis naturalibus, cum nõ ad hanc ærumnosam solum, sed aliam æternam quoq; simus conditi vitam, ad quam aliquando oportet trãire relicta hac, qua nunc fruimur. Agricola sementem facit, & arat terram, cœli & aër fœcundant res nascentes, nisi tamen adsit benedictio Domini frustra illa fiunt & adsunt; secundæ etenim causæ præsupponunt pri-

primam. Sic viuimus quidem ex pane, sani sumus *ἀκρασία & συμμετρία* corporis & ope remediorum, non tamen his solis nutrimur & valemus, sed ex omni verbo quod egreditur ex ore Dei.

Magna igitur & detestanda temeritas est, certam semper polliceri restitutionem, sanitatis vitæque pro-rogationem, cum Deus sit vita nostra & longitudo dierum nostrorum. Absurdissimum quoque & stultissimum est, in promissione salutis excipere causas naturales & adiuuantes alias, verbi gratia, obedientiam ægri & similia, non vero excipere causam omnium supremam, à qua inferiora cuncta diriguntur & conseruantur. MANES horribiles pœnas dedit, quamquã impij sui dogmatis præcipue; tamen etiam temere politici auxilij, filium enim Persici regis, cum, vt promiserat, non sanasset, cutis ipsi toto corpore detracta fuit. Gabriel quoque Zerbus, cuius filij Aloysij hospitio & conuictu ego vsus sum Patauii, cum satrapam quendam Turcicum in Illyrico vel Mysia propinqua sanare non potuisset, satellitum gladiis concisus est. Sed pius medicus non infamiam solum & pœnam temporalem metuat, multo magis & curando & præfagiendo respiciat ad hanc causam, huncq; honorem DEO tribuat, vt ab ipso felicem successum artis suæ petat, & ægro operam suam fidelem promittat, hac tamen exceptione, qua etiam Plato vsus est, *εὐὸ θεὸς ἐθέλη*: quamquam Arabici scriptores frequenter in ore habent: si Deus voluerit. Ipsius enim cura sumus, ipse pater est & quidem noster, ipse fecit nos & non ipsi nos, ipse nouit quid conducat nobis, & certe sæpe præstat mori quam viuere, ne posteriora fiant nobiscum deteriora prioribus, cuius beati exitus tempus optimum nouit ipse.

Idem intelligere possumus, vt arbitror apud *Hippocratem*, cum inbet obseruare num diuinum aliquid insit in morbis. Etsi enim alij diuinum illud de aëre, alij aliter exponunt; nihil tamen vetat nos huc referre, & pro Dei

voluntate ac decreto accipere, siue Hippocrat. aliquos, siue nullos morbos ad Deum referendos censuerit.

Reperti sunt nostro tempore, qui publicis scriptis negarint pestem immediate interdum à Deo immitti, aut immediate tolli morbos ullos, à quorum sententia toto pectore abhorreo. Christus ne vnquam sic sanauit inquit? Respondeo, imo quam sapissime. Cum verbis excitat mortuos, cum leprosos mundat, cum eiicit dæmonia, quæ sunt ibi actiones causarum secundarum vel mediatarum? nisi ideo forte mediatam opem vocare velis, quia subiecto certo salutem attulerit, quod sane esset perridiculum. At creatio est dicunt, si sic agat Deus? à qua sexto die recessit & quieuit. Nego, quia creatio proprie substantiis debetur, morbus autem & sanitas non substantiæ sunt, quare non creata, sed restituta dicitur sanitas amissa. Vt taceam Deum sexto die non sic quieuisse, vt creationis potestatem deposuerit, sed cum mundum specierum numero iam pro sua voluntate perfecisset, addere alios plures noluit, & hoc scriptura nominat eo loco quietem Dei. An permutationem subitam substantiarum & specierum, nulla præsentem materiæ propinquæ & naturæ dispositione, qualem aliquoties factam esse legimus, opus creationis vel creationi par esse non concedes? vt quando Lothi vxor in statuam salis, baculus Moysi in serpentem, aqua Cananæa in vinum transmutata est. Produco aliud minutius, quadraginta annis totis calcei Israëlitarum non sunt attriti in deserto, dic tu causam secundam vel concausam, aut nega liberrimam & omnipotentem providentiam Dei. Sed hanc rem pluribus persequi nolo.

Quod autem nos hoc loco tribuimus Deo interdum, quod scilicet singulari sua voluntate ex hac vita hominem decedere iubeat, id nonnulli volunt plane esse vniuersale, atque de omnibus morientibus hanc causam adferunt. Illud quidem haud dubie pro vero tenendum est, neminem mori, nisi Deus permittat, neminem

neminem etiam mortem effugere posse aut differre, quando Deus ipsam imperet, neque de eius potestate est quaestio, sed de voluntate, an videlicet semper homine moriente ita voluerit fieri Deus, & non alio modo. Isti ab aeterno & à prima hominis origine vnicuique fatalem & ineuitabilem terminum vitae praescriptum esse contendunt, quod mihi nulla autoritate ratione ve facere videntur. Nam ratio plane contrarium demonstrat.

Quid enim alioqui piorum preces valeant, quibus constat, quam plurimis vitam fuisse longiorem impetratam, imo ex morte etiam reuocatam? Prorogauit Deus vitam Ezechiae regi, cui antea obitum denunciauerat, non generali solum illa hora, quam fatalem multi statuere conantur, sed speciali quoque prophetae voce, quemadmodum & Niniuitarum vniuerso populo. Deinde cur honorantibus parentes additur promissio vitae longae? & impiis, inter reliquas comminationes, vitae insuper breuis poena proponitur? Sicut Eli Pontifici summo praedicit Dominus, fore, ut ex posteritate ipsius nullus sacerdos fiat senex. Ita punit ergo Deus saepe, ut ante diem pereant non sicca morte tyranni ac scelerati. Quomodo autem hoc poenae rationem habebit, si alioqui idem finis futurus est, siue pie, siue impie homo viuet? & quomodo constabit sibi Deus, dum minatur se facturum, quod etiam absque hac comminatione futurum erat, nempe ex vi horae fatalis? Cur item mali ipsi sibi causa sunt vitae abruptae, praeter Dei sententiam? Non enim certe sentiendum est, Deum fuisse causam necis Saulis & Iudae, ut scilicet sibi adferrent manus, ne ultra ineuitabilem immotamque metam viuerent. Dum Iosias rex moto bello non necessario interficitur, dumque Iudaei contra voluntatem Dei conantes suo consilio irrumpere in terram promissam caduntur, non erat fatalis iste exitus, neque necessario ipsis constitutus; si enim monitis salutaribus paruissent, non v-

tique cecidissent. Moses propter diffidentiam suam mori iubetur, & ab ingressu terræ promissæ excluditur. Hoc modo nisi Deum offendisset, diutius victurus fuerat. Qui desertis coniuge ac liberis bella & pericula non necessaria quærit, sua culpa perit, & pœnas luit ante tempus temere relictæ vocationis, si forte trucidatus intereat.

Autoritate nituntur tamen Syracidæ cap. 17. qui contrariam sententiam amplectuntur, vbi sic scribitur: *Numerum dierum & tempus dedit illi*; quæ sententia planissime intelligi debet. Cur enim non dicatur Deus numerum & tempus dedisse homini, qui nunc certe post lapsum generis humani non est immortalis, sed finitos habet moriendi dies. Ante lapsum quidem quis numerus dierum, & quod tempus futurum fuisset inexplicatum habemus. Iobi etiam 14. capite sic loquentis citant verba: *Breues dies hominis sunt. concedimus: Numerus mensium eius apud te est, concedimus*; quid enim ignoret Deus? *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. concedimus*; Nemo enim prorogare vitam sibi potest præter voluntatem diuinam, vt nemo potest longitudini suæ apponere vlnam, & cum iubet Deus mori (vt Mosi dicebat, morere) non est qui eripiat. Constituit item terminum vitæ humanæ post diluuium longe breuiorem mortalibus. Moses enim Psal. 90. conqueritur: *Vitam hominis redactam esse ad 70. & 80. annos*. Itaque hic etiam valet illa regula, præuisio non adfert necessitatem. Quanta vero patientia dat etiam inducias impiis, vt pœnitentiam agant, hoc est, concedit plures vitæ annos? Quamobrem pii sic instructi & animati semper sint, vt quacunq; hora Dominus venerit, ipsi parati reperiantur ad emigrandum, atque hæc, quæ dixi, non credo aduersari veræ pietati, nec tamen contendo, sed meam sententiam tantum iudico.

Aliis vero, qui contrarium tuentur, confugiendum  
erit



erit ad Stoicam quandam necessitatem. Hoc igitur teneamus, fieri non raro, ut morbi exigui & benigniores tamen homini fiant vel incurabiles, vel causa mortis non sperata, ita statuente Deo, & tum mirandum non esse, si ars medica nihil queat adferre opis.

POST HAEC numeramus morbos, quicunque PRÆSTIGIIS DIABOLICIS excitati infestare homines solent, per magos & *ἰπιδὲς*, vetitis ac sceleratis artibus, incantationibus, veneficiis ve immissi, aut à Satana ipso orti immediate, quorum causa cum sit Diabolus (de quo pii & sapientes non ambigunt) cui naturale nihil contrarium est, incurabiles haud dubie arti medicæ resistunt, neque ei vlla ratione subiiciuntur, ac naturæ limites plane transcendunt, siue veri illi sint, siue apparentes morbi.

Frustra ogganniunt nobis magi, naturalia esse quibus utantur, & naturalium causarum viribus tum morbos eiusmodi, tum morborum fugas fieri, cum certum sit, & à multis piis eruditisque patribus & aliis abunde demonstratum, omnia talia non nisi causarum naturalium negatione accidere, de quo non opus est nos plura hic disputare. Et exempla, quorum nonnulla *Fernelius* & *Beniuenius* commemorant, satis comprobarunt, omnibus physicis remediis adhibitis etiam efficacissimis, nihil tamen profectum fuisse, donec palam factum sit, vel obsessos fuisse Spiritu immundo miserrimos aegros, vel eiusdem opera alioqui afflictos, quo recedente, aut præstigiis eius precibus sanctorum profligatis, sua sponte fœda & horrenda symptomata statim & per se cessauisse.

Etsi igitur magorum opera interdum morbi tolli videntur, naturalibus tamen mediis id nequaquam perficitur, sed quo autore facti erant, eodem etiam euanescent, quo auxilii genere Christianis minime uti licet. Si autem precibus & fide firma repugnent homines, ac Dei fiducia, nisi etiam abigant huius generis morbos

aut vincant, vtentes interim medicamentis concessis, magis ea curatio fidei & Deo quam medicamentis adscribenda erit. Relinquitur ergo istiusmodi mala, quo ad artem esse ἐπέκδυα τῆς ἰατρικῆς & incurabilia.

Quamquā dolendum certe nimium est, tam multos hodie superstitiosos & Dei mandatorum tam negligentes reperiri, qui morbum quemlibet statim ad incantamenta referant & iisdem quoque tolli satagant, quos non mirum est, si Deus punit deinde grauius reprobo sensū atque aliis malis. In fide Christiana recte institutum decet omni vita timere Deum; voluntatem eius discere ac scire; fugere pacta & commercia cum malis spiritibus vel eorum ministris quibuscunque: ab iis nullam petere opem; sed cum Iobo dicere: *Etiamsi occidat me: tamen sperabo in eum*: quotidie ardentibus precibus se suamq; salutem animæ atq; corporis commendare Deo, vt tuta sit ab insidiis Satanæ; & deinde in fide firma patienter ferre crucem, quæcunq; ferenda imposita fuerit; concessa & naturalia auxilia non negligere; ea si quando non multum præstiterint commodi, non desperare, nec cōtra Deum fremere & confugere ad illicita media: Quæ præcepta non ex medicinæ, sed Ecclesiæ fontibus haurienda & ad vsum transferenda sunt. Quæ autem media in naturalium numero habenda sint, & quæ repudianda, id non est instituti huius explicare.

Ad magistratus primo officium pertinet magos & maleficos ex ciuitatibus prouinciisque reiicere ac tollere, ne imperitum vulgus ab iis seducatur. Deinde est controuersia hæc multorum scriptis dilucide illustrata (nam nec medici veteres quidem à vetitis superstitiosisq; modis medendi semper se abstinuerunt) vt nemo facile ignorantiam in hac re prætexere queat.

TERTIO LOCO statuimus FATVM PHYSICVM, siue necessitatem naturæ quodam ordine consequentem, quæ nimirum talis est: vt cum

*Certa*

*Certa quidem finis vite mortalibus adstet,*

*Nec deuitari lethum pote, quin obeamus,*

Iuxta Lucretium, illam corruptionem vltimam necesse fit præcedere multas corrumpentes alterationes, & quasi mortis nuncios, in aliis maiores, in aliis minores, aut pauciores, quæ vtique si omnes abigi ac præcaueri possent semper, hoc est, si morbi omnes in vniuersum essent curabiles, contingeret etiam mortem aliquando non esse necessariam, quod fieri non posse cum facis literis tum quotidiana experientia docemur. Mors enim pœna vniuersalis est, ita dicente Apostolo Paulo, *Pervasit mors in omnes, quia omnes peccauerunt: & Psalmographo: Non est homo, qui viuat, qui non etiam moriatur, qui eripiat vitam suam a violentia sepulcri.* Hoc diuino statuto sic accidisse nouimus Christiani, philosophis aliter demonstrare conantibus ex materiæ ratione. Decrescit igitur subinde post vigorem & ætatis statum vis naturæ roburq; corporis nostri, & facultatum efficacitates imminuuntur, temperamenta labefactantur. Hinc immensa congeries debilitatarum actionum in animali, vitali & naturali facultatibus, &

— — *Circumsilit agmine denso*

*Morborum omne genus, quorum si nomina queras,*

*Promptius expediam quot amauerit Hippia mæchos,*

*Quot Themison agros autumnno occiderit vno.*

Vnde à veteribus prudententer dictum est, *φύβου & γήρας, & γ' ἔρχεται μόνον, Time senectam sola namq; non venit.* Imo Terentius non solum morbos adferre secum senectutem, sed ipsam morbum esse pronunciauit, non poetice solum sed vere etiam. Est enim propinquissimo gradu iuxta mortem constituta, ordine quodam, vt dixi naturæ ineluctabili. Tum, vt scribit Plinius: hebescunt sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta, &c. Ergo pro miraculo & id solitarium reperitur exemplum, Xenophilum musicum centum & quinq; annis vixisse

sine vlllo corporis incommodo. Finge igitur felicissimum vitæ cursum alicuius, expertem omnis morbi & calamitatis corporeæ, qualem Plinius ex fabuloso figmento de Hyperboreis recensuit *lib. 4. cap. 12.* aut qualem fere in Asclepiade obseruatum esse idem memoriæ prodidit. At num idcirco contra mortem vel mortis causam remedium habuit? qui cum sponsionem fecisset cum fortuna, ne medicus crederetur, si vnquam inualidus vlllo modo fuisset ipse, tandem tamen suprema in senectâ lapsu scalarum exanimatus est. Et huius felicitatem quidem anteaactæ vitæ (si vere talis fuit) optare quis poterit, arte autem cōparare nunquam poterit.

Cum igitur vitæ terminus instat, quo non *ὄραρον νόσον*, sed tempestiue etiam atque annis saturati decrepiti senes mori dicuntur (senii autem latitudo quædam est, & alii aliis citius incommoda huius perferunt) tum verissima sunt illa, destillationes & grauedines in valde senibus non maturantur, diuturnis enim morbis correpti senes fere vna moriuntur, 2. *Aphorif. 39. & 40.* Senes item spirandi difficultates, destillationes cum tussi, stranguriæ, dysuriæ, articularum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, cachexia, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui oculorum & aurium humiditates, visus obtusior, glaucomata, auditus hebetior, cæterique id genus affectus ex frigidis humoribus ortum habentes (qui à quibusdam iuuenibus etiam, nedum à senibus, difficulter percoquantur) sicut coli & splenis affectus frigidi, spine item peruerfiones contorfionesque, ad mortem vsq; comitari solent. *Vide Gal. loco citato causas explicantem, & 3. Aphor. 31.* In iuuenili quidem & forti corpore omnia faciliora sunt, cæteris paribus, vbi naturam adiuuantem & valentem habet medicus, sed in senili cuncta fere sunt aduersa. Idque eo magis senibus accidit, quo imbecilliores aliquas partes à natiuitate habuerint. Ea causa est, quod alii plus patiun-

patiuntur circa pectoris partes, alii circa caput & sensuum organa, alii ventriculi, intestinorum, renum, vesicæ affectionibus plus obnoxii sunt. Idem de aliis partibus sentiendum.

Deinde plurimum momenti in hac re habet (ut scilicet senibus accidant istiusmodi morbi difficiliore) ratio cœli atque aëris, ratioque victus & diæta in rebus non naturalibus. Multum enim refert, si quis in aëre non salubri, nec cōueniente cum temperamento corporis sui vixit, aut ebrius & ingluuiei deditus ætatem transegit, vel immodicis laboribus diuturnisque curis exhaustus est. qui vero non ita, cum verisimile est minus etiam ægrotaturum.

Si igitur aliquis istorū morborū seni alicui tali accidat (qui quidem nō necessario insunt senibus, sed si insunt cum periculo insunt, & interdum nullo ingenio amoueri possunt) ille ne quærat omnimodam solutionem mali. Sed ad finem se præparet, interimq; placide contentus sit, si ita mitigari possit, ut tolerabile aliquo fiat modo, neque subinde increseat & deterius fiat.

Hæc nota esse conueniebat hominibus, cum nihil alienum, sed maxime propriam naturæ nostræ conditionem ob oculos ponant. Quale enim esse dicemus, hominem eousq; sanitatis appetentē esse, ut nunquam de morte etiam & ex hac vita discessione cogitet, aut ad illam animum conformet? Vult certe hoc fieri Ecclesiastes cap. vlt. vbi venustissimis figuris ex ipsa natura sumtis senectam describit his verbis: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent, antequam obscurentur Sol & Lumen & Stella & Luna, & reuertantur nubes post pluuiam. Quando contremiscent custodes domus, & nutabunt viri fortes, & ociosæ erunt molentes in minuto numero, caligabunt videntes per foramina, & claudentur ostia in platea, vox molentum obscurior erit, & surgent ad vocem volucris, incli-*

nabuntur omnes filiae carminis. excelsa quoque formidabunt in via, florebit amygdalus, onerabuntur locustae & peribit voluptas. Quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae, & circumibunt in platea plangentes: antequam rumpatur funiculus argenteus, & decurrat fons aureus, conteraturque hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quapropter concludendum est hac etiam de causa saepe numero contingere, ut aliqui morbi ab homine tali aetate tolli non possint.

**I N M E D I C O** duplex causa esse potest non curati morbi, una quae ipsum merito reprehendendum non efficiat, altera culpae expertem esse non sinat. Quam late autem patet medici tota scientia atque officium; ita etiam hoc caput latissime se extendit. Ingens enim pelagus est medicina, ac merito pro temerario habendus, qui ipsam uniuersam tenere se autumat. Sed nos in pauca contrahemus.

Potest igitur medicus etiam eruditus & recte ac praecclare artem tenens ( quantum fieri potest, praesupponimus enim nunc optimum ) naturali quadam imbecillitate, nonnumquam a fine sperato aberrare. Si enim geometer non omnia particularia exactissime semper demonstrat, nec musicus semper & ubique optime canit, nec quisquam artifex reperitur, qui nunquam alienum quid vel non optime congruens agat, quid de medico dicendum erit, qui artifex est sequens sensum, in quo causae esse possunt errorum plurimae, quod clarius perspicietur infra, ubi de morbo agemus. Ut plurimum ergo cogitur coniecturis uti, nequaquam vero semper demonstrationes adhibet, praesertim cum vita hominis ipsa breuis sit, ars longa & amplissimo ambitu circumscripta, occasio praecipua, experientia periculosa & iudicium difficile, propter multas rationes, quae alibi explicandae sunt.

Estque

Estq; cum in vniuersa nature contemplatione (teste Cicerone) tum vero præcipue in medicis actionibus, cognitio omnis humana multis obstructa difficultatibus, eaque est, & in ipsis rebus obscuritas, & in iudiciis nostris infirmitas, vt non sine causa & doctissimi & antiquissimi inuenire se posse, quod cuperent, nonnunquam diffisi sint. Tamen nec illi prorsus defecerunt, neque nos studium exquirendi defatigatos relinquere par est, quanquam in singularibus omnib. ad optatam metam, peruenire nequeamus. Fateamur tamen errare nos posse. Neque solum de præsagiis, sed de omnibus aliis medici operibus verum est, quod Galenus scribit in fine Prognosticorum: *Nunquam errare supra hominem esse, rarissime autem solius artificis.* Idem i. lib. de pulsuum dignatione pronunciat, *tantam in pulsibus solis addiscendis difficultatem esse & obscuritatem, vt tota vita hominis illi cognitioni atque exercitationi tribuenda videatur.* Idem etiam 8. meth. fatetur, modestia laudanda: *ego vero, inquit, nec in omnibus agrotantibus fateor exacte me scire in primo die affectum, nec vllam diariam febrem me posse fugere.* Et i. de dieb. decret. *Non dico mortalium speculatione (prædictionum scilicet) fretum nunquam falli posse, sed maiore ex parte veritatem me assequi non probabili sermone verum re ipsa ostendi.* In tertio quoque comm. prognost. scribit: *Nos enim quamuis non perpetuo, sæpius tamen quam empirici, vt futurum præsagiendo sic agros curando, finem artis consequimur.* Er recte, siquidem artifex satisfacti officio, si nihil eorum, quæ ars requirit omittat, tamen si sanatio aut effectus non semper consequatur, nam aliud est finis, aliud effectus artis.

Præter hæc cum ipse Hippocrat. in lib. de veteri medicina aperte dixerit: *Etiam eum medicum vehementer laudari, qui parum delinquat, certitudinem autem exactam raro videre contingit:* Neminem equidem facile crediderim tam esse aut arrogantem aut impudentem, qui gloriari ausit omnes ægros se curasse, quibus ope-

ram suam pollicitus sit. quod etsi arti fortassis possibile quis existimet (vt non est simpliciter) non ob id tamen vni etiam homini artificio possibile fuerit. Requiritur sane in medico perfecto, aut ad perfectionem saltem tendente, vt ne contentis bonis moribus opinioni sapientiæ magis quam veritati studeat, sed Galeni rationem sequatur, qui non heri aut nudiustertius, sed statim ab adolescentia se ad philosophiæ studium contulisse adfirmat, & quo tempore alii urbem salutando lustrarent, cumque diuitibus cœnarent, eosdemq; comitarentur, hoc toto diligenter se laborasse, primum, quidem cuncta, quæ veteribus pulcre essent inuenta, vt disceret, mox eadem opere cum indicaret, tum exerceat.

Itaque in libro de constit. art. med. permulta recenset, quæ requirantur ad medicum, qui futurus sit præstans, & ad omne genus eruditionis excellens. *Primum* est δξεία φύσις, natura solers & ingenium docile atque acutum. *Deinde* ἀσκησις exercitatio, præcipue mathematicarum artium: præceptores etiã præstantissimi; εἶναι φιλοπονῶτα patientia laboris atq; assiduitatis: veritatis studium & amor, quo pertinet etiam probitas iuxta Hippocratis ὄρον: perceptio & cognitio methodi, qua vera à falsis discernantur, per quam intelligit dialecticam. Tandem exercitium methodi eius & vsus multiplex demonstrationum, vt vti ea possit & iudicio acri in omnibus versetur: *Quemadmodum enim artifices mechanici vt plurimum errant absque perpendicularo & norma; ita medicus sine methodo si sanat aliquando, non arte sed casu & fortuna id facit.* Nobis autem ante omnia adiungenda est pietas & ardens inuocatio auxilii diuini. Quæ enim omnibus hominibus à Deo in genere præcepta sunt, medicus in specie etiam ad se pertinere existimet, vt scilicet in tractatione artis timeat Deum, diligens sit in uocatione sua, amans proximi se-  
rio, ca-



rio, careat potius præmiis quam incertum quid & periculofum tentet aut suscipiat, &c.

Hippocrates omnis boni in Medicina autor, *ὁ μὲν* hos duces in medico requirit: *Naturam, doctrinam, locum studiis aptum, institutionem a puero, industriã, tempus..* Hæc quidem & antedicta omnibus pari felicitate adesse non possunt, sed tamen studio, assiduitate & pertinacia quadam diligentia id assequi ingeniosi possunt, ut artis methodum recte perdiscant, & quod in exercitatione eiusdem sequantur præclare teneant. De his tamen ipsis adfirmamus, fieri posse, ut interdum (quamquam rarius) hallucinentur, & à methodi rectissima via aliquantum declinent, præsertim in intricatis ac difficilioribus morbis, quales multi sunt interni atque occulti, quorum per media fit cognitio, cum in sensus non incurrant, præsertim si causarum quoque accedat perplexitas. Sin vero culpa ægroti aut aliorum contingit error, id iam huc non pertinet.

Nemo igitur recte aget, neque in arte feliciter versabitur, qui quam profiteretur plene non didicerit, ut videlicet theoremata propria & totam *σύστασιν* eius noverit probe, & sciat (non credat aliis tantum, aut ex libromore psitaci recitet) ea esse vera, consentientia sibi, & utilia ad finem artis, utque methodo ac ratione inventa recto usu experientia & praxis comprobare possit, quæ duo instrumenta duobus medici cruribus comparavit Galenus. Hoc vero non utique est cuiusvis, sed eius qui simul sit (ut vno verbo dicam) philosophus, quemadmodum Galenus demonstravit optimum medicum, eundem quoque esse philosophum, & Aristoteles testatus est *ἁρχὴν ὅτι οἱ ἰατροὶ ἀπὸ τοῦ φιλοσόφου τὴν ἀρχὴν τῆς τέχνης αἰσθάνονται, καὶ ἐκείνου τὴν ἀρχὴν τῆς τέχνης αἰσθάνονται.* Ciceronis quoque non cõtemnendum est testimonium ex 5. de finib. *Ab his philosophis, inquit, Oratores, Imperatores ac rerum pub. principes extiterunt, mathematici, poëtae, musici, medici denique, ex hac tanquam ex omnium ar-*

*tium officina profecti sunt.* Quapropter ingenue & verissime dictum est ab Hippocrate, in lege: *Medici fama quidem & nomine multi, re autē & opere valde pauci.*

Neque ideo mediocribus etiam verum nomen medici detraxerim, si non dii sint, & omnia ad summum gradum perfectionis absoluta possideant. *Non omnia possumus omnes.* Multa præcepta Hippocrates vera & vtilia tradidit, quorum nec ipse experientiam omnium habuit, nec semper effectum aut finem eorundem affectus est. Vnde non mediocriter Cardanum delirare iudico, dum millesimo quoque anno vnum tantum perfectum medicum fuisse asserit, seq; septimum esse in septimo millenario gloriatur, cum (vt alia præteream) mundus tot annis non durauerit.

Ex his autem, quæ dixi, non difficile est iudicare, si, qui omnium ad artis finem necessariorum præclaram noticiam sibi comparauerunt, expertissimi & scientissimi medici tamen nonnūquam labi possunt ac solent humanitus, quid de imperitis indoctis malisq; sit sperandum, quibus hæc omnia vel ignota sunt, vel quasi per somnium tantum visa cogitataque, quæ à medici munere seiuncta esse non possunt? & audacissime tamen quibuscunque obuiis abutuntur? verum de his postea agemus. Hinc ergo magnorum quoq; virorum lapsus aliquando oriuntur. Nam si natura interdum ipsa in operibus suis aberrat, & præter vsitatas species monstra parit, nec perpetuo motum aut effectum ad finem completum perducit, quid mirum si homines etiam in sententiis & factis suis aliquando aberrant, quæ præsertim in tanta caligine accidentium & opinionum confusione vehementer laborant, vt taceam fortuitos etiam casus, qui incidere & bene meditata consilia interturbare possunt, vt *Hippoc. 1. lib. de morbis* recenset quædam mala, quæ medici operentur præ infortunio. Scio maximi nominis medico in Italia contigisse, vt nobilem matronam gravidam esse non crederet,

deret, quæ tamen infeliciter medicamentis vſa præſcriptis, paulo poſt fœtum in vtero habuiſſe ſe abortu cõprobauit. Et Matthæus Curtius, quod Clementi pontifici (ni fallor) diætã, cui diu conſueuerat, immutaſſet, incõſideratius feciſſe ab omnib. doctis medicis iudicatus eſt, & interitus eiufdẽ non minima cauſa fuiſſe.

Sunt qui aliam etiã in medicis addunt cauſã, quod ſcilicet reperiantur nonnulli, quibus ſoleant vt plurimum minus proſpete ſuccedere curationes ſuſceptæ, quique minus ſint felices in reſtituendis ægris. Atque hoc *ἀφελος* illud eſſe exiſtimatur, quod in medico Galenus requirit, cum *ἀφύγιον* & felicitatem nemo ſibiipſi conciliare poſſit, ſed aliunde poſſideat. Vulgus indoctum & literatores quidã id fortunę tribuunt, quam ſciunt eruditi eſſe per accidens cauſã: Huiuſq; ruruſus cauſas ex cœlis Astrologi deducunt, vt videlicet ille ſit felicior medicus, cui ſtellarum poſitus fauſtus naſcenti illuxerit, qualem iſti etiã in ſpecie definiunt, ad quorum ſententiam alludit Iuuenalis Satyra 7.

— — *Diſtat enim, quæ*

*Sidera te excipiant modo primos incipientem*

*Edere vagitus & adhuc a matre rubentem.*

*Ventidius quid enim? quid Tullius? an ne aliud quam*

*Sidus & occulti miranda potentia fati?*

*Si fortuna volet ſies de Conſule Rhetor,*

*Si volet hæc eadem Medicus de Rhetore ſies:*

Vt ſecundum propoſitum noſtrum loquar: Et idem Satyr. vlt.

*Plus etenim fati valet hora benigni,*

*Quam ſi nos Veneris commendet epistoſa Phœbo.*

Verum talibus rationibus, quæ ſæpe prædicantur quidem, ſed ſine ſatis firma ratione, omiſſis, eas cauſas huius rei inquiramus quæ euidentiores ſint, ac minus perplexitatis ſecum trahant. Teſtatur igitur experientia, non quidem ſæpe, ſed interdum tamen, à nonnullis magis proſpere curari aliquot ægros, quam ab aliis pã-

ribus, nec arte, nec scientia superioribus, quod mihi neque ad fortunam, neq; ad astra, sed ad alias tres causas referendum videtur.

*Prima* est fiducia & persuasio hominum, qua vulgo plurimum tribuunt alicui, eumque in ore & oculis ferunt, hunc omnibus præferunt, huic totos se committunt. Cui igitur multi plus fidunt, ille plures etiam curat, *inquit Hippocrates*; magni enim momenti res est multæque efficaciam, quod in aliis etiam negociis manifestum est, magnam habere fidem autoritatemque apud homines; nam in omnibus libentius illi obtemperant, & fiducia talis animum confirmat, spiritus exhilarat, spem excitat, totam denique corporis animiq; naturam recreat. Opinioni enim & phantasiæ vis in proprio corpore multum valet. Hinc accidit, quod qui principibus assistunt & in regum aulis viuunt, à plerisque plus scire putantur, quam alii in literarum ac studiorum umbra obscuritateque abditi.

Neque est quod hoc nostro tempore fieri id miremur. Idem Galeni seculo factum ipsemet conqueritur, fueruntque Romæ alii longe maiore in precio & maiore admiratione, quam Galenus, qui tametsi esset doctissimus ac Imperatoribus etiam carus, & operibus artis non obscurus, nisi tamen scribendo famam & gloriam conseruasset, certe vix nomine nunc notus esset posteritati. At illa fiduciæ, de qua dixi, & scientiæ opinio vt plurimum non laudatis, nec imitandis artibus quæritur. vsitatum enim & fuit, & est, & erit, vt multi medici pecuniam potius, inanem laudem, deliciasque voluptatum suspiciant quàm veritatis studium, vt si quis sapientiæ quoduis studium serio sectetur, pro insano habeatur. Simile simili amicum. Mundus vult decipi & non recte iudicat: æstimat ac commendat medicos ex ocio, luxu & splendore vestium, impudentia, iactantia, scurrilitate in conuersatione, ludis & computationibus, audacia, adulatione, & quo quisque est indoctior eo

ctior, eò fere est gratiosior. Talibus ergo artibus comparantur vulgi studia atque applausus; (& hoc stulti praxin vocant) eoq; fit, vt cum homines ægrotare cœperint medicos aduocent non quidem optimos, vt pote quos per sanitatem noscere nunquam studuerunt, sed eos, quos maxime familiares habent, quique ipsis adulantur & cupiditatibus quibusvis indulgent: Contra, quã veteres illi medici (*verba Galeni hæc sunt*) ab Æsculapio oriundi, qui tanquam duces militibus & reges subditis imperare ægris voluerunt. itaque non qui melius artem callet, sed qui adulari aptius nouit, apud istos magis in precio est, huic omnia plana peruaque sunt, huic ædium fores patent, hic breui efficitur diues plurimumque potest. Talibus dum fidunt vehementer homines, inque iis spem præclaram positam habent, non mirum est, si interdum in leuioribus morbis aliquid efficiant, præsertim cum inscitia etiam audaces res efficiat, ac tum sane audaces, quod dicitur, fortuna iuuat, non quidem semper aut sæpe, sed interdum: nam fortuna incerta est & instabilis.

Huc accedit, quod iidem, qui tales medicos admirantur, post vnã aut alterã successus prosperi curã, sine modo rem prædicando mirifice extollunt, & famam harum augent, qui occasione similiter deesse non solent, sed insuper calumniis, quibus possunt, doctiores alios onerant, & hominum animos ab his alienare fatagunt.

Sed tamen male mederi nunquam vtile ægris esse potest, quomodo igitur hos imperitos dicemus mederi morbis? Dixi iam leuioribus posse mederi interdum, quos etiam sæpius alioqui natura ipsa sanat: vt, vulnera in sanis habitibus leui auxilio adhibito pro decessione puris facile coalescunt, ita quidam periodici morbi, si vires valentes subsint, finem ipsi nanciscuntur expletis circuitibus suis. In hos & similes, si qui forte incidunt, putantur arte curauisse; incidunt autem

crebrius propter opinionem de ipsis conceptam. Sed audi Hippocratis de hac re sententiam ex libro de veteri medicina: *Pleriq, medici eadem, quæ mali gubernatores in se admittere videntur mihi. Etenim illi, cum in tranquillitate gubernantes delinquunt, non fiunt manifesti: cum vero deprehenderit ipsos ventus magnus & tempestas, palam iam conspicui sunt omnibus hominibus, quod ignorantia & culpa erroris sui nauem perdiderunt. Sic sane etiam mali & plurimi medici, cum curant homines, nihil graue patiētes, in quos si quis etiam maxime delinquat, nihil graue faciat. Sunt autem multi tales morbi, & multo sæpius quam graues hominibus accidunt. In talibus sane delinquentes, non fiunt manifesti idiotis hominibus. Vbi vero obtigerit magnus & fortis & periculosus morbus, tūc ipsorum delicta & ars omnibus in conspicuo sunt, neque enim longe absunt singulorum pœna ac cruces, sed breui adsunt.*

*Secunda causa est, quod nonnulli ingenio confisi, parum videntur attenti ad artem esse, & exercitationi non satis diligentia tribuere, & vbi ad prima statim cōsilia res non succedit, diligentiam remittunt, neque de aliis, quæ ars præscribit, faciendis amplius cogitant, sed negligentius omnia administrant, quam oporteat, idque alii aliis de causis: vel quod nolunt valde practicis negotiis se dedere; vel quod ingratitude aut inobedientia hominum deterrentur; vel quod nimis distrahuntur cogitationes eorum multitudine ægrotorum, quibus adsunt, vel quod desperatos casus ab aliis prius in pessimum statum deductos attingere verentur, &c. Vbi contra alius minus etiam eruditus, bonus tamen, neque ex superiorum familia, summo studio cuncta inquirere, & solícite circumspicere potest, ne quid ex rebus necessariis omittat, vel ex non necessariis adhibeat, quemadmodum lepore & cochlea de velocitate cursus contendentibus apud Æsopum, lepus consulto*

sulto tardans contentione atque industria assidua cochleæ vincitur.

Duobus enim tanquam cruribus nititur medicina, neque solis theoreticis rationibus contenta insuper etiam practicas experientias particularium requirit, & indefessam ad singulos casus intentionem.

At isti alii vulgares indocti & ἀπειθεῖς nimium stulte hac sententia pro se vtuntur, quod sine reprehensione ferri non potest. Nam de omnibus eruditioribus proclamant, malos practicos esse, quia boni sunt theoricis, (vt cum ipsis balbutiam) sibi vero laudem practicorum impudentissime arrogat, a fini ad lyram quod dicitur. Tenere hoc debebant, quicquid non ex arte fiat, & certis causis, id fortuito fieri.

Quamobrem, nisi quis causas & naturas corporum, morborum, signorum, remediorum, quam perspectissimas habeat, is nunquam secundum artis methodum, sed secundum fortunam & casum, & secundum causas vel nullas, vel alienissimas curationis modum omnem instituat, necesse est. An vero hoc satisfaciat nomini & officio medici, iudicent omnes qui possunt recte iudicare. Docuit hoc Galenus optimum medicum eundem esse quoque philosophum, ac si ille non docuisset, ratio tamen ipsa nobis demonstraret. Sed longius quam constitueram digredior.

*Tertia causa* est, quod varia sunt dona Dei. alium fecit ad docendum & speculandum aptiorem, alii δὲ νῦν αὖτις φρονήν ad agendum præstantiorem dedit, & vt in aliis hominibus, ita in medicis quoque interdum punit certa peccata, ne eos successus laborum suorum experiantur, quales alioqui habituri fuissent. Vnde fieri potest, vt doctissimus quisque non semper etiam felicissime curet morbo affectos, præsertim si cõcurrant superiores etiam simul causæ, prauum vulgi scilicet iudicium, & negligentia quædam, atque non alacris ad practica medicinæ opera, industria, siue voluntas medici. Not

igitur rigamus quidem & seminamus, Deus solus dat incrementum. Inter Prophetas & Apostolos ipsos quoque maiora miracula faciendi potestatem, & dona sanationum dedit his, aliis non dedit. Quid itaque medicus consulat, agatque, ex arte mediocriter scire potest, & facere quod sui est muneris: at euentum quoque præstare, non in sua sed Dei potestate situm est, sicuti omnium aliorum consiliorum τὸ τέλος, secundum Pindarum, ἐν τῷ θεῷ, consistit.

Præterea nonnullis etiam hanc crucem ferendam imponit, ut experiantur insignem & detestandam ingritudinem hominum, quorum periculis summo studio adfuerunt.

In cuius rei consideratione sæpe mihi in mentem venit Cassandra Troiana mulier, cui similem fortunam medici multi sustinere coguntur, quæ cum donum vaticinandi haberet, hoc tamen incommodi additum erat, ut ne ipsi crederetur. Quod igitur & quantum operæ precium tulit? unde veteres nonnulli simili calamitate adacti præceptum hoc tradiderunt posteris: *accipe dum dolor est, neque hoc inhumanitatis est, sed necessitatis ac iudicia, dignus siquidem est, qui operatur, mercede.* Et tamen adeo suaues sunt, ut Christianæ caritatis admoneant medicum, homines non pauperes, qui gratuita opera indigeant, sed ditissimi, sordidissimi que plerunque, cum non ignorent tamen, quid caritatis sit proprium, nempe æqualitas, & suum non quærere, sed quod proximi est, & gratiam referre:

Ἄυτῶ τῶ μέτρω, καὶ λῶιον, αἶκε δύνηαι.

Sic igitur aiebam fieri posse, ut, præterquam quod Deus quibusdam ad præclarissimam scientiam non adiunxerit summam etiam felicitatem, huic ipsi tamen felicitati, si adsit, aliquid decedere possit ob ingritudinem & peruersum iudicium hominum, quibus non iniuria tardantur bonorum studia. Nam si omnis conditionis homines laboris præmia iuste exigunt & expectant,



pectant, cur medico pio id facere non liceat, aut cur ille solus benefaciendo esuriat, cum mutare id honestis rationibus possit?

Aliorum ergo, ut diximus, alia sunt dona, sed nos tamen hoc loco medicum perfectum, quantum fieri potest, præsupponimus, atque hunc ipsum (ad institutum reuertentes) adfirmamus etiam nulla deficiente prosperitatis felicitisque successus causa, tamen interdum labi & decipi, propter communem infirmitatem humani ingenii, neque cuncta rectissime semper administrare posse: vnde sequi interdum soleat, ut morbo ægrotus non leuetur.

Hanc vero causam rariorem esse quam cæteros credere licet. Si enim medicus ex inscitia aut malitia, aut temeritate aliqua ægro causa mali sit atque interitus, id iam non ad rationem humanæ infirmitatis pertinet, sed alterius est generis, quod tantum abest, ut medico excusationem honestam adferat, ut etiam propter id iure ac legibus in ipsum animaduerti debeat: & olim actio data est in tali casu: iuuenis namque cuiusdam affines medicum de corde accusarunt, *referente Gal. 1. prognost.* de quo deinceps iam verba faciemus. Hoc autem omnino multiplex est.

Reperti sunt sane pessimi medici, aut medicorum nomen vsurpantes, qui veneficiis vsi homines è medio tollerent, quique certis pactis dæmoni malo obligati, septimum aut nonum quenq;, qui in ipsorum manus incidisset, interficerent, vel qui sponte etiam dataque opera pestis semina rebus contagio affectis propagarent, domosque à malo immunes lue ista inficerent, quod Patavii à monacho & medico ante annos aliquot factum est, qui sceleratæ societatis deinde pœnas dederunt. De his igitur nihil amplius dicendum est, cū sit res illa manifesta & impia, & causa interitus miserimorum ægrorum. Quomodo enim (nisi Dei singulari beneficio) ex manu talis latronis, cui salutem

ſuam etiam vltro commiſit, incolumis quis euaderet? De medicis vero aliis, qui ignari veræ artis ſunt, agamus, quorū culpa non raro accidere videmus, vt morbi ſua natura leues ac mites ita exaſperentur, ne vlla deinde ope adiuuari queant, atque hac ratione maius ſæpe à medicis talibus, quam à morbis immineat periculum, *sicut infra dicemus quoque*, cum morborum naturam cōditionemque, quid in hac re præſtare valeat, conſiderabimus.

Paulo ante oſtendimus numerum non exiguum eſſe eiſmodi medicorum, qui illaudatis artibus adulatoriis, luſu aleæ, comotationibus, & aliis viro honeſto philoſophoque indignis rationibus, in hominum amicitias inſinuent ſeſe, quo à pluribus ipſorum opera ex-  
petatur: quos neceſſe eſt ſimul & temerarios & audaces fieri. Quod enim inſcitia audaciam ſecum adferat, vetus & veriſſimum dictum eſt, & Hippocrates ipſe *παλαιός* in lege inquit: *Audacia ignorantiam artis ſignificat*, & alibi conqueritur eſſe, *qui ex eo, quod ignorant, non parum lucrifaciant*. Hi ergo, ſi incidāt in morbum, ſua natura acutum & periculoſum, vel difficilem ac pertinacem, non feſtinant, ſecundum prouerbium, lente, ſed atrociffimo auſu, violentiffimis remediis vtuntur, & omnibus quaſi copiis hoſtem ſubito adoriuntur, ad noua etiam & nondum ſatis explorata medicamenta confugiunt, experimentaque per mortes hominum agunt: nullo reſpectu habito ad ſpeciem, locum, tempusque morbi, ad vires ætatem, temperaturam ægri, ad materiæ concoctionem vel cruditatē, ad vias quo natura vergat, ad regionem, anni tempus, cœli ſtatum, vel conſuetudinem, denique ad cauſarum varietatem ſymptomatumque.

Ad hanc claſſem pertinent, qui venenata metalla repurgare ſe ad quintam eſſentiam mentiuntur, eaque tanquam ſaluberrima corporibus humanis offerunt, cum ne minima adhuc ex parte demonſtrarint, eſſe vllam

lam inter ea & corpus nostrū similitudinem (qua maxime tamen confidunt atque gloriantur) nam quæcunque ipsi de analogia microcosmi ad magnum mūdum garrunt, friuola ociosorum hominum cōmenta sunt & λόγιωλασματώδεις. Præclare Celsus lib. 3. ex sententia Asclepiadis dicit: *Cito, incunde, tuto, curandos esse morbos, quantum fieri possit.* hæ optimæ rationes sunt. *Vt autem tuto cures,* inquit Galenus 14. meth. 14. *tria sunt, quibus intentus sis oportet: primum, ut omnino absolutionem operis siue perfectam curam cōsequaris, alterum, ut sicubi hanc non consequaris, saltem cubantem non le- das,* sicut Gal. alibi (in princ. lib. *ἡγετὲ τὸ πρῶτον*) etiam testatur, in artis operib. semper operam dedisse se, ut quod auxilii loco adhiberetur, iuaret, vel certe non noceret, de quo vide Hippoc. 1. epidem. 2. sect. 50. aphorif. *Tertium, ut vitium siue morbus non facile reuertatur.*

Hæc conferamus paulisper ad ea, quæ fieri passim conspicimus, & omnia perturbari contrarioque ordine agi animaduertemus. Absolutio operis & perfecte restituta sanitas expetenda est primum, in quo conuenire quidem possunt & boni & mali, credo enim malos quoque laudem sanati ægri expetere. Sed infinito modo discrepantes vias deinde ineunt. Boni constituta, fundata, demonstrata, & antiquissima experientia confirmata artis theoremata sequuntur. Illi cōtra hæc vniuersa, vel nihili, vel non admodum magnifacere, sed vel subito & impræmeditato nulla facta inquisitione, vel communi quodam modo conspectis vrinis (de quarum abusu aliàs scripsi) quocunq; morbi tempore Receptaria sua reuoluentes aliquod strenuum eligunt & familiare: id si forte semel expugnauit morbum, quanti triumpho canuntur? Sin autem rem decumbentis deteriore faciat, quod vt plurimum accidit, tum animo concidunt, fingunt nouum & antea inauditum esse morbum, causasve alias alienissimas prætexunt, ac tandem sese, quo possunt modo, subtrahūt.

vel si in cura persistunt, ex vno errore in alios lōge grauiores, tandemque ad desperationem ægros adducūt, neque id immerito,

*Non enim sunt arte homines hi diuini aut scientia,*

*Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli:*

*Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat,*

*Qui sibi semitam non sapiunt alteri monstrant viam.*

sicuti hæc non magis de suo, quam de nostro tempore scripsisse Ennius videtur.

Econtra peritus ac legitimus medicus & vir bonus, tametsi in dubium aliquem incidit morbum, ita tamē institutus est, vt in principio remedia adhibeat, quæ vel certo iuuare, vel saltem lædere nihil possint, erat enim hoc alterum caput. Scit manente causa effectum tolli nunquam posse. Non igitur parergis ociosis illis insistit præcipue, quæ ad ostentationem potius, quam curationem à beatis illis practicis vulgaribus cumulātur, qui in principio adhibent, quæ statui vel declinationi debentur, vel contra, qui cruda mouent & incōcocta, quod frequentissimum & perniciosissimum est, atque, vt Galeni verbis utar, aleatorum instar remedia offerre consueuerunt, vires superpurgatione prosterunt, efficiunt scirrhos hepatis, coli aut articulorum cruciatus vel resolutiones, incrassant materias frigidæ, aut calidarum ebullitionem tristissimam relinquūt: & quis omnia enumeret? Interim vel pharmacopolis gratificando, vel suæ auaritiæ, aut molliciei ægrotantium seruiendo, magnam medicamentorum copiam obtrudunt ægris, nulla necessitate, quibus obruūt naturam, appetitum prosternunt, concoctiones & nutritiones impediunt, materias quiescentes irritant, & ad motum suscitant, vomitus perpetuos lacesunt: ita & sumtibus & periculis iniustis ægros onerant, & impudentissime nihilominus immēsa precia extorquēt: Atque hoc scilicet vocant practicum esse. Et reperiūt tamen applausores. Vtque Naaman Syrus non cōten-

tus

tus simplici lotionē aquæ Jordanis, quærit alia maiora & miranda; ita hodie, quæ ad admirationē, ambitionē & apparatus finguntur, quæque ampullis inanissimis verborum ad nauseam vsque extolluntur, gratiora multis sunt ineptis, quàm salutaria & ex arte simpliciter proposita. Sed euentus tamen prudentiam augere in hominibus debebat.

Hæc exempli causa dixi hæctenus, ad demonstrandum nempe ex medicorum inscitia, culpaque (quæ multiplex esse potest) sæpe accidere, vt morbus incurabilis vel permaneat, vel si non fuit talis reddatur. Sed addamus vnum adhuc aut alterum exemplum. *Noni medicum*, inquit Beniuenius, qui vel incuria, vel magis, vt arbutror, inscitia, e: *plastrum frigidissimum stomacho cuiusdam viri, dum illum ventriculi dolor satis mordax urgeret, superposuit. putabat enim hoc auxilio dolorem tolli posse. Verum ille dolore fere amoto, grauem tamen noxam percipiens, redeunti medico exponit dolorem quidem remissum, se tamen inspirandi difficultate vexari. Quod inscius medicus paruifaciens iterum emplastrum admo- nit, & ne tollatur etiam iubet. At ager, dum assistentes imperata faciunt, paucis interim horis singultu premitur: quo grauius grauiusq; hominem afflicto ante, inhorrescunt illi membra, ex quo etiam paucis interceptis diebus mors subsequuta est: quam medici omnes ex incusso stomacho frigore prouenisse iudicauerunt. Ignorabat enim bonus ille medicus, nullum princeps aut principi subseruiens membrum solis frigidis esse curandum. Talia etiam olim facta sunt. Lege quæ Galenus contra Thessalicos & methodicos scribat in Therapeutica methodo, & exempla egregia non deerunt.*

Similia multa quotidie apud nos accidunt, si quis obseruet. *In articuli cuiusdam (puto humeri) dolore ex fluxione orto, tonsor quidam exhibuerat medicamentum validissimum, ac nisi fallor fuerat puluis antimonii exusti & rubificati, ex quo ille qui sumserat violentissime per su-*

periora atque inferiora purgatus est, ita ut sanguinis etiã aliquid deiiceret, & crebris animi deliquis corriperetur. Sequenti die venam etiam secare voluit, quam aeger prostratis pene viribus non admisit. Quia vero ob corrosa intestina dolorem ibidem persentiebat, stolidus tonsor colica tormina esse coniiciens, quæ ex solo frigido humore oriri didicerat, vinum potentissimum exhibuit, ac ventrem oleo rutaceo laurinog<sub>3</sub> inunxit, & sine dubio hominem interemisset, nisi ab aliis in tempore accersitis rectius tractatus fuisset.

Memini item, foemina, quæ pleuritide corripitur inciperet, à medico exhibitam esse theriacam cum aliis calorificis, & imperatum, ut post assumptionem sudaret. inde omnia in deterius conuersa, & tandem illa, eripneumonia extincta est.

Alius quidam, cum apostema in ventriculo haberet, & legitimo curandi modo satis bene haberet, per aesus longioris curæ, hominis circumforanei suasu hellebori adulterini vulgaris decoctum sumsit, & altera die subito concidit atq<sub>3</sub> expirauit.

Hi igitur non adhibuerunt diligentiam eam, quam debuerunt, ut ne ægrum læderent, sed errore non ferendo morbum ad extrema discrimina deduxerunt. Dum enim ambitionis studio gloriam quærunt, ut methodum veram vitent, quam minus operosam esse arbitrantur, fingunt propriam sibi methodum, quæ in inextricabiles labyrinthos ipsos præcipitat, atque ita cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadunt. Apud Plutarchum in exercitu Sertacii miles quidem robustissimus caudam equo euellere nequiuit, at lixa facile singulos pilos euulsit: Ita certe non vbique & semper totum morbum semel extirpare licet, sed paulatim debellandus est sæpenumero, per partes euacuando, mitigando, auertendo id quod molestat. Quot præstantes viri his annis perierunt, restituti, ut putabatur, nouis illis metallicis liquoribus vel pulueribus, qui de-  
inde

inde aut phthisi contabuerunt, aut conuulsionibus & apoplexia vel hydrope, vel aliis diris modis vitam finierunt? Et nos tamē non sero veluti Phryges, sed nec unquam sapere discimus, neq; iis, quæ in oculos nostros incurrunt credimus. Quoties nos (vt de aliis taceam) conspeximus tantum symptomata quædam, vtcunque ab aliis mitigata esse: nulla actione contra morbi fontem instituta, ac ne tentata quidem, nec corroborata etiam partium languentium natura & facultate: deinde vero recrudescite morbo, & prostrato robore corporis, omnia optima præsidia frustra fuisse adhibita. Hoc non erat tertium obseruare, quod præstantissimi illi veteres tantopere posteris commendare voluerūt. *Galenus 1. de dieb. decret. imperitum & extrinuo adscitum medicum tantum ab appellatione vera ministri nature abesse censet, vt maxime contrario nomine ipsum dignum affirmet, inimicum videlicet nature appellandum & egrotantis hostem.* Verissimum igitur est, quod Hippocrat. νόμος scripsit: *Φήμην μὲν πολλοὶ ἰατροὶ, ἐργῶ δὲ πείχου ἑαυτοῖς, fama quidem & nomine multi, opere vero valde paucē sunt medici.*

Erasistratum ferunt dicere solitum: oportet hominem exercitatissimæ considerationis esse, qui voluerit non solum affectus ipsius qualitatem, sed affectū quoque locum probe dignoscere. Et hæc tamen duo tantum sunt ex aliis plurimis considerandis. *Celsus 3. libro pronunciat*, ab vno medico plures curari simul nō posse, quem secutus Galenus neminem arbitratur multis egris eodem tempore decumbentibus sufficere posse. At imperitis illis nihil facilius existimatur, qui quadraginta vel centum etiam hominibus vno die respondent, ac satisfacere se opinentur. Qualia vero censes illa responsa & auxilia visum iri, si ad veritatis & scientiæ normam reuocentur atq; exigantur? Huius mali causa & culpa non postrema in Academiis hæret, quæ titulos & dignitates tribuunt interdum ineptissimis, vno

de ineffabiles clades in Repub. sequi necesse est, in qua tamen re, antiqua Gymnasiorum statuta, magno consilio olim condita, conscientias promouentium onerant (sic enim loqui solent) *ne quem ad superiores dignitates scholasticas admittant, de quo vniversitas erubescere possit.*

Nam præter alia detrimenta etiam hoc accidit, vt postquam indocti, quibus vulgus diu credidit, sæpius errando existimationem tandem amittere incipiunt, idem vulgus etiam doctioribus deinde imputet, hosq; cum indoctis plane eodem loco habeat, atque ita ars ipsa etiam in contemptum veniat; quemadmodum Dei verbum male audire solet ob vitam docetium peruersam atque impiam: cum tamen docti, si prius recte curarunt, ex arte curarint certisque ex causis, indocti vero quicquid boni egerunt, calu tantum & forte fortuna egerint, qua si destituantur, nihil arte corrigere possunt, sed ex leni sæuum ac vehemētem, ex paruo magnum, ex breui longum, ex benigno malignum morbum efficiunt, ex sanabili denique affectu irrecuperabilem sanitatis iacturam introducunt. Huc si annumeremus sexcenta genera impostorum, circumforaneos erroneos atque agyras, iudæos, aniculas, monachos, cerdones, fullones, milites, carnifices, & fæcem illam hominum, qui in artem medicam tãquam sues irrum-punt, impuneque conuiuentibus magistratibus in vitam hominum grassantur, infinitas puto in hoc capite, quod ad tales falso putatos medicos pertinet, non curatorum morborum causas reperiemus. Ab his enim postquam in extremum discrimen laborantes coniecti fuere, tum demum peritiores medici interdum solent aduocari: At vero quid illi tum facient? contra stimulum nempe calcitrabunt, & impossibilia perficiēt, quæq; alii multis dieb. corruerunt, hi vno die in integrum restituent, & miracula faciendo Dii erunt? Sed hæc in capite de Morbo etiam repetenda erunt.

Tandem



Tandem huic numero addendos cenſeo medicos quosdam doctos etiam, nimis tamen auaros, illiberales & crudeles interdum, non habentes viscera miſericordiæ, qui miſerorum ægrorum rationem & ſtatum non ſatis cõſiderantes, leue quid eſſe ducunt talium curam agere, neque magnitudinem operis attendunt, neque diligenter in eo verſantur, neque à Deo ſucceſſus petunt, ſed leuiſſimis cauſis commoti aliquando curationem deſerunt, etiam cum pleraque ægri faciunt, quæ ab ipsis requiruntur. Id ergo ſi fiat eo tempore, quo maxime medici auxilium neceſſarium erat, in periculoſo præſertim & magno morbo, leui momento in incurabilem ille degenerare poterit.

NUNC AD PHARMACOPOLAS, qui medicorum miniſtri ſunt, noſtra ſe conuertat oratio, quã probi, & in officio diligentes, ad ſe pertinere nequaquam exiſtimare debent. De cæteris vero improbioribus negari non poteſt, quin ſæpe præpoſtero & malo ſtudio ſuo occaſionem præbeant cauſamque morbis, vt inſanabiles euadant, & decumbentes ægritudine corporis non liberentur. Fuit olim eiufdem medici & artem ſanando exercere, & medicamẽta ipſa præparare: ſicut Galenus ipſe Antonino & Seuero Imperatoribus theriacam præparauit, & paſſim vna cum Hippocrate monet, quibus pharmacis medicum inſtructum eſſe oporteat. Poſterioribus vero temporibus arti miſcendi & componẽdi pharmaca præfecti ſunt alii, qui medicinam ipſi non facerent, ſed parata ſemper in promptu haberent, tum ſimplicia, tum compoſita remedia, ita vt Pharmacopola iam ſit quaſi *δημιουργός*, Medicus vero *ἀρχιτεχνικός*, cuius præceptis ac præſcriptis ille obſequi debet, & præter ea nihil in curandis morbis per ſe tentare vel ſuſcipere.)

Etiã autem ſcio, in vtramque partem multa argumenta diſputando colligi poſſe, quibus vel probetur, vel damnetur inſtitutum iſtud, quo præparatio medi-

camentorum ab ipsa arte medicinae disiuncta fuit, ac seorsum Pharmacopœis cōmissa: tamen arbitror graues causas sapientibus viris olim fuisse cur id fieret, & nunc etiam eius rei vtilitatem manifestam esse, si modo recte ac honeste vt fiat, curetur. Est etenim tanta amplitudo artis ipsius, vt quo quisque doctior & peritior est, eo magis animaduertat, vix totam vitam perdiscendæ & tractandæ illi sufficere posse, ac diuine dictum ab Hippocrate fuisse intelligat *Artem longam*. Galeni quoque idem sentientis hæc sunt verba: *Artis magnitudo vitam superat humanam, adeo vt ab homine quantumuis diligenti ac industrionequeat & incoari, & ad finem vsque perduci.*

Itaque haud dubie summorum aliquot medicorum consilio & subiectione Reipub. gubernatores & principes in eam deuenerunt sententiam, leuandos esse medicos onere isto maximo præparationum variarū & quotidianarum, vt toti in artem ipsam & vsum eius in curatione sola incumbere possent: præsertim cum publice etiam in scholis postea tradi cœpisset ars ipsa, & stipendia, priuilegiaque essent constituta eius Doctoribus. Nimis enim multa onera hæc essent, simul in scholis docere, ægros curare, & pharmaca præparare, (aut præparationi saltem præesse) quæ subinde in multitudinem insignem excreuere, inuentis nimirum nouis additis ad priora. Ac cum aliquando vt fit, subiti morbi incidunt, medicus non quiuis ita instructus esse potest, vt semper omnia necessaria remedia in promptu habeat, qua occasione fieri posset tamen, vt interim dum paranda essent, ægri perirent. In pharmacopoliis vero ad subitos etiam casus materia parata esse potest. Deinde neq; omnium facultates (hoc præsertim tempore) eiusmodi sunt, vt & magnis sumtib. artem discere, & ministeria quoque miscendi exercere queant, ac necessaria comparare. Id nisi emendatum fuisset, multi ingeniosissimi derelinquere artis exercitia coacti fuissent,

fuiſſent, poſtquam, exhauſto patrimonio apud exteras gentes & ſcholas, domum reuerſi inopes ferme viuere incipiunt: locupletiores vero are multo & diuitiarum ſplendore opinionem peritiæ aucupantes, & officina medicamentorum lauta inſtructi, omnium oculos ad ſeſe ſolos conuertiffent.

Huic ergo difficultati optime & prudētiffime proſpectum fuit, conſtitutis publicis tabernis, in quibus ſecundum rationē præparaciones conficerentur, quæque vſui medico quauis hora inſeruirent.

Ex qua re hoc etiam commodum promanauit, vt præcia pharmacorum eſſent nota atque tolerabilia. Quis enim nō credat olim multos impoſtores nullius præcii res maximo vendiſſe, idque impune, quod & materia & confectionis ratio ignota eſſet, cum hodie etiam in tanta luce omnium rerum idem nimis ſæpe euenire comperiamus? Vnde in laudatis rebus publ. & legibus præclare conſtitutis hoc etiam cauetur, ne cuiquam liceat aperire officinam materię medicæ niſi iurato, & quæ à medicis & viris honeſtiſ. quotannis cū examine ſolenni inſpiciatur, in qua præcia inſuper rerum ſingularum æſtimata, ac certo modo conſtituta, non temere augeantur. Certe magnum peccatum eſt magiſtratus, ſi curam hanc inſpectionis negligat, cum de multo leuioribus rebus aliis (vt de vendenda cereuiſia) interdum ſit oculatiſſimus.

Deinde medicorum quorundam petulantium & indoctorū temeritati hac ratione obuiã itū eſt. Ne. n. venenatis, aut male & imperite præſcriptis remediis facile abuti poſſent, & noxia hominibus, quos forte oderunt, propinare, aut morbo non conſentanea, vel fortuita tantum, & quæ temere in mentem veniunt, apponere, formulæ ſingulorum medicamentorū, quæ ægrotis exhibituri ſunt, in officinas publicas deferuntur, ex quibus & de induſtria, ſcientia, diligentiaq; medici iudicium fieri ſemper poteſt, & Pharmacopolis

via præcluditur, ne plus pecuniæ, quam par sit, extorqueant. Ex quo instituto & fiducia ægris augetur, & fama boni medici in tuto est, & curatio tota absq; difficultate vlla peragi potest: Cum alia ex parte interea male feriat homines & agyræ sua remedia in obscuro conficiant, misceant, vendant, exhibeant, & interfecto ægro culpam deinde ad fatum reiiciât, ipsi fuga se subducentes.

Quapropter in rebus publ. præclaris cautum hoc etiam est, ne eidem liceat & Pharmacopolæ & Medici munus obire, propter pericula scilicet, quæ inde metuuntur. Neque enim qui ipse præparat formulas suas (seu receptas vt vocant) aperte proponit, neq; si proponit certum esse potest, an iisdem vere etiam vtatur, vel multo viliora alia substituât, quam nominauerit: & sic idem periculum imminet, de quo Plinius olim conquestus est, fieri scilicet negociationem animarum.

Non negarim tamen à bono & laboribus assueto medico etiam præstari posse vtrumq; vel saltem, quin aliqua singularia & eximia remedia præparet ipse, quod absque detrimento aliarum rerum necessariarum facere possit. Sed istud nunc quidem, quod iam legitimum est, vbiq; ita relinquamus.

ETSI autem hoc loco de toto officio Pharmacopolæ non disputabimus, tamen paulo altius hæc repetenda fuerunt, vt pateret quid proprie ad ipsum pertineret, & quatenus fieri posset, vt causa sit non solum læsæ existimationis ac famæ Medici, verum etiam læsi ipsius ægrotantis, & non curatorum morborum. Sit igitur Medici minister, siue alioqui doctus siue indoctus sit, artem suam præparandi, temperandi, miscendi, colligendi, asseruandi singula medicamenta exacte teneat, nihil suo iudicio mutet, nulla aliena substituât, ægris per se, nisi iussus, nihil exhibeat, famulis suis non cuncta cōcredat, ipse præsens omnia, vt quam rectissime &

me & sollicitè ad ministrantur, procuret, &c. At hæc quidem singula frustra sperantur ab eo, (vt supra de medicis ipsis quoq; dixi) qui non honestè educatus & vir bonus fuerit, multo vero magis, qui Deum non timeat inspectorem & vindicem iniuste factorum, quiq; fide, corde & operibus non sit Christianus. Plurimum igitur interest, & quidem longe plus quam vulgo creditur, quales viros huic muneri magistratus præficiat.

Dico igitur non raro accidere, vt non solum periclitantis valetudinis ægri, verum etiam neglectæ & profundæ prorsus culpa in Pharmacopola resideat. Quis enim de hoc dubitare potest? Circumferamus oculos per omnia genera artium cum mechanicarum, tum liberalium, & ministrorum culpa quanta errata committantur nullo negotio perspiciemus. Nonne harmoniæ musicæ perturbatæ causa sæpissime est in concentore vno atque altero, male & extra ordinem canente? Nonne ædificiis ruentibus causam sæpe dederunt operæ, præter sententiam & voluntatem architecti? Nonne victoria sæpe amittitur contumacia, ignauiâ, formidine vel temeritate militum & centurionum, nulla culpa hærente in exercitus duce?

Iam igitur cum res eo redierit, quemadmodum antea dixi, vt medici instrumenta sua plurima, quibus carere non possunt, sumant à Pharmacopolis, si hæc non sint talia qualia esse oportet, quis inde incommodum securum esse non intelligat? Nempe si non debito tempore collecta fuerint, non rectè ac integre asseruata, nimis inueterata, exoleta & inutilia, si alia exhibita & addita, quam medicus præscripserit, quod nimium sæpe fieri conqueruntur multi. Insedit enim hoc seculo auaritia ita alte in animos hominum, vt circumuentio proximi etiam pro virtute habeatur. Multi arrogantia sua quadam despiciunt medicos, & cum ipsis de gloria atque scientia certare etiam audent. Si hic præscripsit pharmacum leniens, illi superbi scamoneata miscere

audent: si hic mane ieiuno ventre iubeat hoc fieri & bibi, illi post prandium demum cum portione parati adsint, ne ad seruilia ministeria quasi coacti videantur præsto esse. Quale autem hoc esse dicemus? præstaret tales procul abesse ab omni medicationis commercio, quos suæ vocationis pudet. Sæpe fateri nolunt deesse sibi hoc vel illud, & assumunt interea alia, vel prorsus etiam omittunt summe necessaria, in quibus tota vis & spes curæ residebat. Nonnunquam etiam inscitia peccant, quemadmodum scio accidisse non sine graui decumbentis periculo, cum exhibendum fuisset saccharum rosatum, Seplatiarii ministrum elect. rosatum dedisse. Vnde vulgatum istud exit dicitur: *Quid pro quo, album græcum pro balsamo, &c.* Carent interdum, vt aiebam, maxime necessariis vtilissimisque compositionibus atque instrumentis, nempe (vt exigua etiam referam) melle violato, sirupo ex violis solutio, sirupo betonicæ, farfaræ, portulacæ, vnguento diapampholygos, de turia, pila item lapidea ac plumbea, &c. interim pyxides coloribus auroq; magnifice exornant, & tabernam variis imagunculis ad delicias puerorum magis quam utilitates ægrorum spectandam exhibent, quæ quidem suo loco propter decus & ornamentum ædium toleranda videntur, sed oportebat hæc facere, illa vero nullo modo prætermittere, quæ potiora sunt. Interim etiam dum sæpe præstantissima medicamenta negligunt, empirici alicuius aut monachi remedia copiose præparant, omnibus venalia offerunt & commendant tanquam *πάγγελια*. In primis vero cauent, ne desint illæ merces, quæ à pessimis circumforaneis expeti, & ab iisdem in perniciem hominum passim, tam urbanæ quam rusticæ plebi, obtrudi solent.

Herophilus diuinus vir medicamenta *θεῶν χεῖρας* appellauit, recte videlicet præparata recteque vsurpata, alias certe fient *χεῖρας παλαμναίας* & in manu sicarii gladiis. Platonicis causa instrumentalis pro vna ex principibus

pibus causis, à Peripateticis fere pro tali, sine qua vera causa non queat esse causa, habetur.

Ex quibus omnibus iam cuius manifestissime patere arbitror, si Pharmacopola in medicamentis ordine atq; lege artis præparandis vel negligenti vel maligno etiam & peruerso studio versetur, magnam ex eo causam non curatorum morborū haud dubie exorituram.

NUNC TANDEM AD MORBVM ipsum q̄ attinet, huius profecto longe maximum est momentum. Hic vero non de specie morborum per se incurabili loquemur, nam de illa supra egimus, sed de illis morbis, qui cum sua natura curabiles sint, non raro tamen in *ἄνυαθηφόμενοι* & incurabiles degenerāt, propter accidentia quaedam ad morbi ipsius naturam pertinentia, eamq; nimis valde in deterius immutātia. Etsi enim medicus nec ignorantia artis, neque negligentia sua in curando peccat, sed doctissime ac rectissime omnia facit, quæ sui sunt officii, quæque ad recuperandam sanitatem pertinent; tamen alia habet plurima impedimenta, & de quibus nunc agemus, præcipue morbi *μέγιστον* atq; *ἥθιστον*: quibus fit ut ægrotus sæpenumero sanitatem non consequatur. Vnde admodum vere hoc dicitur:

*Non est in medico semper releuetur ut ager,*

*Interdum doctus plus valet arte malum.*

Et Hippocrates 1. prognost. testatur homines nunquam vi morbi interire, priusquam medicum accersant, quosdam etiam vocato medico repente, hos intra primum diem, illos post aliquot dies plures, antequam medicus aduersus singulos morbos arte resistat. Et in libro de arte sic scribit: *Sentio medicinam esse, vel ad artem medicam hoc etiam pertinere, eorum, qui a morbis victi sunt curationem non aggredi, cum in confesso sit, quod medicina tales sanare non possit.* Idem Celsus tradidit lib. 5. *Est prudentis hominis eum, inquit, qui seruari non potest non attingere.* Atque tum vel maxime prædictionibus scienter uti oportet, quia in tali casu cuncta

auxilia valida magis hominem lædunt, eiusque deteriorem statum efficiunt, lenia vero & mitia nullam adferunt alleuationem, & medico potius infamiam de decusq; conciliant.

Ad duo igitur prius dicta capita totum id, quod hoc loco considerandum est, breuitatis causa referemus, nempe ad morbi magnitudinem & mores. Nam etsi in languido corpore vires debiles cum subsunt, nihil præter interitum expectari solet, vt 2. Aphor. 41. *Qui saepe & vehementer & sine causa manifesta animo linguuntur, ii de repente moriuntur*: tamen has quoque sub istis duobus capitibus cõprehendemus, cum vt plurimum vires concidant (nisi tales sint in corpore à primordio *υοσσερῶ*) vel ob magnitudinem vel acutiem & malignitatem morbi.

Magnitudo igitur morbi spectatur præcipue in partis affectæ præstantia ac nobilitate, & in ipsius affectus vehementia, quæ oritur ex causarum magnitudine ac violentia, indicatur vero ex symptomatum sæuitia.

Variis autem occasionibus & causis morbi fieri possunt magni, pertinaces, periculosi, nec non lethales. Inter quos est complexus & concursus multorum morborum, qui simul vno tempore infestent hominem, multum enim inde difficultatem augeri manifestum est, quemadmodum fit in hæmitritæo, in putrida cum hectica febre coniuncta, vt quintana etiam, 1. *epid.* 3. *comm.* nempe & ante tabem, & iam tabidis superueniens interficit. Sic in morbo Gallico cum asthmate res desperata est. Est & multitudo materiæ causa, præsertim commotæ ac furiosæ, quæ ad locum principalem vitæque necessarium decumbere potest impetu suo, vnde in cerebro & neruorum principio apoplexia aliquando sequitur, in corde syncope & virium miserabilis lapsus. Materia quoque iam collecta in loco periculoso, vt in faucium inflammatione, quæ anginam efficit; impedita enim spiratione periculū mortis incumbit.

Materiæ



Materiae item vel causae violentia aut malignitas, quae consensu loci, aëris & victus mali vehementer exasperari solet, ut in peste ex aëris putredine accidit, praesertim attracta in corpus dispositum & praeparatum. Est creberrima causa magnitudinis morbi etiam error in curatione commissus insignis, siue is aëri, siue adstantium siue medici culpa euenerit: ut si intempestiue materia commoueatur, vel cum summo detrimento virium educatur, aut non talis, qualis purganda erat, purgetur, aut ad viscus nobile pertrahatur, & id genus alia si committantur. Temporis praeterea mora atque diurnitas, qua fit ut morbi nonnulli inueterari penitus insideant & quasi ad habitum perducantur, idque itidem ob negligentiam aërorum vel inscitiam medicorum. Tum igitur iuxta Poëtam:

*Helleborum frustra, cum iam cutis agra tumescit*

*Poscentes videas: venienti occurrite morbo.*

Ex hoc fonte deriuata sunt praecipua venustissima illa:

*ἀρχῶν δ' ἰατρῶν πολὺ λῶϊον ἢ τελευτῶν,*

*ζητῶν δ' ἑλκεφάρμακα φουδρῶν*

*Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi.*

*Principiis obsta, sero medicina paratur*

*Cum mala per longas inualuere moras.*

*Vidi ego, quod fuerat primo sanabile, vulnus*

*Dilatatum longae damna tulisse morae.*

Exiguos enim morbos adhuc natura vincere potest vel sola, vel parū adiuta ope medica, magnos vero non item, nam mora dat vires. Itaque nec medicus, si morbo iam superante & natura succumbente, demum aduocetur, semper ac certa spe malum factum infectum reddere poterit. Vnde à Celso recte hoc est dictum: *Longus morbus, cum penitus insedit, quo ad difficultatem pertinet, acuto par est, & acutus quidem, quo vetustior est, longus autem, quo recentior eo facilius curatur.*

Intelligi haec poterunt exemplo podagrae, quod malum in omnium est ore tanquam insanabile.

*Tollere nodosam nescit medicina podagram.*

Non dicit Ovidius simpliciter podagram; nam & natura, essentiaq; eius & methodus curandi nota est, neque defunt pharmaca idonea efficacia salutaria, si rite administrentur, & accipiantur tempore modoque debito, & victus ratione, qualis requiritur, adhibita. Tum enim potest podagra & arthricis non mitigari solum, sed prorsus etiam tolli, & non minus curari, quam aut febris tertiana, aut alius morbus salubris, quod exempla testantur. Non ergo podagra est morbus *ἐὶδὲ* insanabilis. At si principia negligantur, & fluxiones diurnæ articulorum robur fregerint, ita ut iam sibiipsis morbum pariant, materiaque per pravam diætam (homines enim diætæ carceres oderunt) aucta & exasperata fuerit, & nodi tophique generati iam præsto sint, ut sit facta iam nodosa & lapidosa podagra: tum certe medicina, tametsi semel aut iterum tophos & nodos terrestres ferro exactos eximat, morbum tamen penitus tollere nesciet amplius; & impudentis stultiq; hominis est, flagitare tum opem subitã & perfectam medelam, quasi vero nihil aut nullius momenti fuerint antegressa errata plurima, quæ habilitatem partium ad sanitatis formam integram pene extinxerunt, & ex priuatione negationem effecerunt, ut corpus ægri scilicet in iis partibus non amplius sit *ὕπερθε* hoc est capax sanitatis. Hoc igitur est accidēs illud, quod podagram, alioqui sua natura non incurabilem, talem tamen efficit, ut curari in extremo & perfectio gradu amplius nequeat. Est enim in malis quædam etiam perfectio, cui scilicet nihil desit, neq; excedendi meta aliqua relicta fuerit. Audiamus hic etiam Hippoc. ex lib. 2. prædict. *De podagricis hæc dico: quicumq; aut senes sunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnose viuunt, aut siccam aluum habent, hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quantum ego cognoui.* Addit deinde Ovidius:

*Nec*

*Nec formidatis auxiliatur aquis.*

Ars nimirum medica, quem versum multi perperam de hydrope dictū intelligunt. Qui à cane rabido morfi fuere, nisi mature illis succurratur, tandem in ἰδροφοβίαν incidunt, hoc est, ad omnes aquas conspectas exhorrescunt & animo concidunt. Hoc signo vltima veneni sæuities indicatur, eamq; Poëta formidatas aquas nominavit. Etsi igitur morsus canis rabiosi curationem in principio recipit, alia tamen eius est in aucta vehementia mali ratio.

In primis autem morbi alioqui periculosi, accessione aliqua mali facta, statim fiunt deplorati, vt pestis, & alii quos supra à specie incurabilibus excludi posse dixi, si quis exactissime rem perscrutari vellet. Pari modo intemperaturæ, fracturæ, luxationes, vulnera, vlcera, coli ileiq; dolores, vbi in magnitudinem insignem excreuere, in lethales abeunt alioqui salubres existentes: præferim vero ex atra bile morbi, dysenteria, mania, malignæ febres, lues gallica & scabies confirmata. 2. Aphor. 39. *Qui longi senibus accidunt morbi magna ex parte insanabiles tota vita comitantur.* 4. Aph. 22. & 24. & 26. *Si dysenteria laboranti atra bilis supra infra ve vel caruncula exierint, lethale.* 5. Aphor. 10. *Tabidi, si sputum quod extussunt carbonibus iniectum grauitè olet, & capilli defluunt, lethale.* & seq. Aph. 12. *Quibus per tabem capilli defluunt, hi alui fluxione superueniente moriuntur:* & 14. *Phthisicis diarrhœa superueniens θανάτωδης.* 7. Aph. 47. *Si hydropicum tussis habeat ἀέλπιστος ἐστίν.* 4. Aph. 46. *Si rigor accidat febre non intermittente, agro iam debili, θανάσιμον.* 5. Aph. 1. & 2. *Conuulsio a veratro aut vulnere, lethalis. Furentibus quoq; cum non possunt necessaria exhiberi & adhiberi, tum excrescit malum, omniaq; in deterius vergunt, vel ipsi etiam sibi nocent exitiq; sunt causa. Quod si ad extrema illa signa deuentum fuerit, vt in febre non intermittente labrum atq; oculus, supercilium, nasus peruertatur, visus auditusq; deficiat agro iam debili, tum*

*mors in propinquo est.* 7. Aph. 73. & alibi. Quid igitur si medicus tum primum vocetur, poterit ne naturam de nouo suscitare & vires ei dare? imo etsi à principio adfuit, tamen omnia præcaueri & auerti mala nõ possunt semper, motusq; materiæ & natura corporis non semper in potestate sunt nostra. Valens natura morborum medicus est, ergo non valens non esse potest medicus; curatio enim nunquam fit, nisi natura superante morbum, vt in capite de agrotis ipsis mox dicemus.

Ipsa sanitas etiam in mediocritate cõsistit, & mediocria errata corrigere licet, sed summis excessibus quis contraria auxilia inueniat talia, quæ corporis vita etiam ferat? Tantam itaq; vim habet magnitudo morbi, alioqui per se non immedicabilis, cuius signum est, quod in pauperibus etiam natura fortis eiusdem speciei morbos sæpe sola sanat. *At, docente hoc Hippocrate in libro de arte, quorum instrumentorum, siue nature, siue artium facultatem obtinemus, per ea sane opifices esse possumus, per alia vero minime licet.* Cum igitur homo morbo afficitur, qui vehementior est quam medicinæ instrumenta, ne sperare quidem oportet, vt à medicina exuperetur. Verbi gratia, omnis intemperies præter modum aucta vires deiicit, quod apud medicos nullam controuersiam habet. quo igitur plus aucta erit, eo magis vires deiiciet, & tandem plurimum aucta, atque omnes metas proportionis ad vitam excedens vitam ipsam tollet, quod ipsum tum deniq; nihil est aliud, quam fieri morbum incurabilem.  $\text{ἄσπετος}$  deinde seu mos morbi vel  $\text{ἄσπετος}$  & modus malus, curationiq; aduersus eadem præstare solet. idque vel ob malignitatem, virulentiam, venenositatem materiæ vel causæ, quod fit in pestilentibus morbis atq; contagiosis, qualem materiam medici detestabilem vocare solent, quæ si etiam ad locum nobilem se conferat, desperatus fit morbus, concurrentibus scilicet morbi & magnitudine & *ἄσπετος*: vel ob materiæ acuitatem, propter quam

quam morbus valide ac cito cumque periculo moueatur, quæ propria sunt omnium acutorum morborum.

Inde est, quod (*attestante Oribasio, quem locum descripsit ex Gal. 1 2. meth. 6.*) qui ob tenues humores in synopen cadunt, siq; iecur aut ventriculus inflammatione vexetur, viribus iam languentibus, nulla hi curatione possint releuari: vel etiam ob crebrum recursum eiusdem morbi, aut ob perpetuo infestatem dolorem, quo mirifice subiecta membra debilitantur, quod accidit in colicis & vesicæ doloribus, in sanguinis ex naribus siue hæmorrhoidibus immoderato fluxu. Huc pertinent febres continuæ & totum agmen acutorum morborum, qui & velocis sunt motus atque terminationis, & magnitudinem seu periculum timoreq; coniunctum statum habent. In his igitur si excrementa sint multa, acuta, praua, corrupta, & symptomata ingruant sæua, ex quibus vires subito concidant, tum vero in insuperabiles degenerare solent. Nam in acutis morbis breue spacium est, intra quod si quod auxilium non profuit, æger extinguitur, *Celso teste 3. libri principio.* Sed hic arbitrantur aliqui, medicorum esse, vt prohibeant, ne ad talem statum res deueniat: In quibusdam sane fieri id potest, si mox à principio omnia recte & iusto modo administrentur (quod rarissimum est) sed non semper tamen: motus enim materiæ, vt antea monui, non penitus & omni ex parte potestati medici subiicitur, vires etiam corporum, quales natura fert tales medicus inuenit, neq; principia vitæ sanitatisque dare potest hominibus meliora, quam natura dederit.

Vt autem exigui morbi in magnos, ita non minus benigni in malignos transire possunt. Inde vlcera *neg-  
negm* Telephia & Chironia dicta sunt, quod ægerrime curam admittant, & si diurnitas accedat, vel errores insignes in victu malo, quod repleatur corpus vitiosis humoribus ac multis, insanabilia quoq; fiant. Nam in eiusmodi corporibus cacochymicis, si diurnum sit

E

malum, tuto ac citra periculum vitæ, sanare etiam ex-  
 ulcerationes mitiores & cauteria tibiæ non licet. In-  
 speratò & præter omnem expectationem nostram  
 contingere solent interdum, quæ in acutis ægritudini-  
 bus ante dies iudicatorios incredibilia momenta, vel  
 ad salutem, vel ad mortem afferre possunt. Recte pro-  
 inde Celsus: *Spes interdum frustratur, & moritur ali-*  
*quis, de quo medicus securus primo fuit.* Inde est, quod  
 scribit Hippocrates 2. Aph. 19. *In acutis morbis non o-*  
*mnino certæ sunt mortis aut salutis prædictiones.* In præ-  
 dictionibus ergo bonum quoq; & experientem medi-  
 cum interdum (quanquam raro) falli contingit, pro-  
 pter subitam in crisi mutationem, vel in melius, vel in  
 deterius, vbi nullū apparet signum, vtrum sit superior  
 morbus aut natura. Idem in 3. prognost. *Quæ iudican-*  
*di vi prædita non iudicant, alia mortem, alia difficilem,*  
*crisim minantur; quam sententiam.* Gal. 1. Aph. 12. re-  
 petiuit. Auicenna in canticis ait: *Si videas difficultatem*  
*& malitiam signorum & periculorum, & dolores fortes*  
*violentosq;, cum mala dispositione & casu virtutis & ra-*  
*tione diminuta & permixta, ita quod virtus nequeat mor-*  
*bi malitiam tolerare, prognostica mortem ante statum.*  
 Obscura igitur est multorum morborum cognitio &  
 diiudicatio, vt hecticæ cum putrida coniunctæ, & ma-  
 gna sepe vnius cum altero similitudo, vt doloris renum  
 & coli: qui si magnus est vel acutissimus, antequam  
 recte diiudicetur & tractetur, potest perire æger, præ-  
 fertim si accedat huius intemperantia & contumacia.  
 Etenim iuxta Poëtam: *Non intellecti nulla est curatio*  
*morbi.* 4. Aph. 23. *Postridie moriuntur, quicumq; ex mor-*  
*bis acutis, aut diuturnis, aut vulneribus, aut alio modo ex-*  
*tenuati atrabilem, aut simile nigro sanguini emisserint.*  
 5. Aph. 43. *Si mulieris pregnantis uterum erysipelas infe-*  
*stat, lethale.*

Ad moram morbi etiam referendam nunc quidem  
 cenfeo rationem loci atque aëris, quando ex diametro  
 inter-

interdum morbo contraria sunt, sicuti tabidi in aëre humido crasso atque impuro deterius habent; vnde olim mittebantur Tabias in aërem saluberrimum, quæ mutatio sane multos à magnis liberavit incommodis morborum. Ita certorum locorum adeo est catarrhus aër, vt arduum sit catarrhis obnoxium hominem ibidem plene ac perfecte restituere. Idem fit in cæteris *ενδημοις νοσημοσι*. Nam Alpini quidam populi, quibus aquarum occasione, quas bibunt, strumæ nascuntur, ab iis laborari nequeunt, cum communem illam causam quotidiano in vñ & quasi necessariam habeant. Sunt & quidam sua natura pertinacissimi affectus & ægre superabiles, vt βαρυνγία & surditas etiam non confirmata, qui plurimū negocii facessunt medico, etiamsi cætera omnia rectissime se habeant.

Ad hunc titulum morbi refero etiam nouitatem & dubiam essentiam morborū, quos alii abditos, alii occultos nominare malunt (quanquam de his non cum omnibus consentio) quorum sunt ignotæ omnibus causæ ac naturæ, ac proinde etiam ignota remedia contraria. Vt cum lapides in pulmonibus vel hepatis substantia sunt geniti. Rarius, sed aliquando tamen scribit *Celsus* morbus quoque ipse nouus est: quem non incidere manifeste falsum est, cum atate nostra quidam ex naturalibus partibus carne prolapsa & arente intra paucas horas expirauerit, sic vt nobilissimi medici neque genus mali neq; remedium inuenerint. Quos ego nihil ideo tentasse iudico, quia nemo in splendida persona periclitari coniectura sua voluerit, ne occidisse, nisi seruasset, videretur. Fernelius calculo extinctus fertur, quo se affectum esse, nec ipse, nec alii sciuerant, idque post dissectionem demum cognitum fuit. Lepus marinus à proprietate pulmonem vlcerat & tabem adfert, cantharides vesicam.

Hæc igitur & similia si ignorentur, (vt ignorari possibile est) quomodo curatio institui legitima poterit? &

quomodo morbus non persistet, aut hominem tollet? Talis initio fuit morbus Gallicus, qui quidem nostro tempore per se curabilis est, olim non ita fuisse videtur. Cui si similes alii oriantur forte, siue quis per se, siue per accidens eos inter incurabiles numeret, cum illo nolim contendere, quamdiu scilicet remedia vera vel alexipharmaca ignorabuntur: utroque enim modo exemplo nobis erunt, non omnes esse semper curabiles arte & virtute humana.

Nimum tamen peccant multi mea quidem sententia, qui quoties obscurior aliquis & malignior morbus grassari incipit, abiecta sedula inquisitione & consideratione, statim ad noui morbi appellationem & pretextum confugiunt (quemadmodum his annis de febribus continuis accidit) quanquam sane morborum tam infinita est multitudo, ut Pherocydes Syrus copia serpentum ex corpore eius erumpente expirauerit, & inauditas antea morborum species oriri posse non eam inficias. Nihil autem obstat huic sententiae, quam defenso, si interdum tam ex his, quam ex ante dictis morbis, conualescant homines, satis est & proposito nostro proprium, quod aliquando imo ut plurimum, cum in talem statum res deuenierit, auxilia adferri amplius non possint, quae enim raro praeter ordinem fiunt, artes non turbant. *Hippocrates etiam ipse parui pendit id quod raro euenit, quemadmodum 2. Aph. 43. de strangulatis aut suffocatis, quibus circa os spuma collecta fuerit, ait Galenus: Ac fortasse Hipp. non quod necessario intereant ita pronunciauit, sed quod aliter eueniet rarissime. Audiuius item quam saepissime excellentissimos huius seculi medicos in consultationibus de quibusdam aegris ita pronunciantes: Curari nequeunt, sed in meliorem statum deduci poterunt. itaq; horum & exemplum & autoritas nobiscum facit.*

ÆGROTANTIVM quoq; vel in primis magnae multaeque sunt in hoc negotio partes, & peccata plurima.  
Hippo-



Hippocrates in præceptionibus vult, vt ægri medicis se subiiciant. 1. Aph. 1. ait: *Non solum medicum seipsum præbere oportet facientem quæ decet, sed etiam ægrum.* Similiter Galenus inquit: *Veteres medici ægris vt Duces militibus imperare voluerunt.* Hoc itaque vniuersale est & commune in hoc capite, vt ægri medicis sint obtemperantes, quod nisi fecerint causa perpetui vel lethalis morbi in ipsos merito referetur.

Vulgus quidem & literatores quidam semidocti non credunt medicinam artem esse, quæ causarum, effectuum, affectuum, corporum, temporum, ætatum, remedium diuersitatem methodo certa & naturali consideret, sed putant peritiam tantum quandam esse, quæ miraculose sciat, prædicat, & tollat omnia mala, atque semper & vbiq; vnum remedium vni morbo opponi simpliciter existimant, per quod nullo alio respectu adhibito morbus statim quilibet depellatur: perinde vt carnes solo igne percoquantur, & humiditas siccis linteis facile abstergitur: & remedia eiusmodi, quæ somniant, secreta atq; artificiosa sola appellare solent. Hoc si verum esset, sequeretur in fortuna positum esse, vt quis fiat in medendo peritus, & nec in studio habituq; doctrinæ atque vsu exercitii, & stultos fuisse Imperatores, qui dignitatem & priuilegia olim medicorum ordini contribuerint: nimirum cuicumque fortuna plurima talia remedia offeret, is statim medicus erit. Quod ne quis fingere me putet, circumspiciat quæso quot impuros homines Doctorum nomine celebret vulgus, qui quocumque modo medicinæ faciendæ famam habent, cerdones, monachos, histriones, agyras, & quos antea eiusdem farinae homines nominavi, vnde inter prudentiores olim quæstio exorta est, vtum sint in ciuitate plures medici an stulti.

Horatio teste abrotanum ægro non audet, nisi qui didicit, dare: nemo quidem audet, probus scilicet & sapiens. Sed tamen in hac artium sola euenisse videmus,

vt cuicumque medicum professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio maius. Id suis quoque temporibus Plinius fieri conqueritur. Hinc illa infelicitis monumenti inscriptio, turba se medicorum perisse. Sed audiamus Platonem absq; omni dubio sapientissimum virum, quid in Phædro scripserit: S O C R A T E S. *Si quis ad sodalem tuum Eriximachum, aut ad patrem tuum Acumeum progressus dicat, ego scio talia quadam corporibus adhibere, vt & calefaciam, si velim, & frigefaciam, & si videatur mihi vomere faciam, & si rursus videatur efficiam, vt deorsum per aluum fiat egestio, & alia multa huiusmodi: & cum hæc sciam, pro medico haberi volo, & alium medicum facere posse me iactō, cui harum rerum scientiam tradidero: Quid putas his auditis dicturos esse? P H Æ. Quid aliud, quam interrogaturos, an insuper etiam sciat, & quibus oportet, & quando, & in quantum singula hæc facere? S O C. Si igitur dicat, quod nequam hæc sciat, sed oportet eum, qui hæc a me didicit per seipsum facere posse ea, quæ tu proponis: quid dixerint? P H Æ. Dixerint, arbitror, insanit homo, & ex libro alicunde doctus, aut in medicamēta collapsus medicum se factum esse putat, cum nihil in arte sciat. Ecce, nihil affirmat talem impostorem scire in arte, cum tamen multa nominauerit, quæ reuera ad medicum pertinent. Fit igitur ex tam praua atque insulsa opinione, quam de medicina passim homines conceperunt, vt eam non artem, quemadmodum dixi, sed nescio quid leue tantum & fortuito collectum esse putent, & nullo discrimine, nullo iudicio, nullo delectu quibuslibet, qui pro medicis se venditant, se suamque salutem committant, ac plerumque deterioribus. Hi enim, vt supra dicebam, artificia tenent aucupandi rumores, fauores & applausus imperitæ plebis.*

Sed econtra in 1. epidem. 2. sect. 51. Aph. dicit maximus Hippocrates: *Ægrum vna cum medico morbis aduersari oportere, ac ibidem tria esse pronunciat, quæ artem &*

tem & curationem perficiant, morbum, medicum, egrum. Morbus atque medicus (ita interpretante eum locum Galeno) inter sese mutuo concertant & bellum gerunt animo hostili, medicus depellere morbum conatur, morbo ne vincatur propositum est. Tertius itaq; æger vtri ex his accedet illius sane vires augebit. Etenim medico bono si crediderit atq; imperata fecerit, huic certamine socius efficitur atque morbo hostis: & tum magna est futuræ victoriæ expectatio, duobus scil. hominibus aduersus morbum vnum pugnantibus. Si vero à medico defecerit & morbo obsecutus fuerit, duobus modis medico iniuriã facit, primo quidem quod solum eum in pugna reliquerit. Deinde quod secundum vel geminum fecerit (morbum scilicet) qui prius vnus esset: vt autem duo validiores sint vno, necesse est. Actum nihil spei reliquum erit, si æger morbi partes secutus medico reluctetur, solum enim medicum à duobus facile est vinci.

Tum autem æger medico relicto ad morbi imperata se accommodat, cum scilicet medicus egrum (exempli causa) à frigida portione abstinere iubet, is autem à febre vltus ab eadem, vt bibat persuadetur. Ita si laetur, quod ne fieret prohibuit medicus, morbum sane augebit, si quæ illi placent fecerit, medicumque prodet, si quæ non iubet egerit. Grauis profecto aduersarius est morbus, qui sæpe non finit curam finiri cum victoria. Insanabilis affectus esse solet, vbi par pugnantium robur est, quia in sanatione naturam tanquam agens fortiorem esse oportet. Quid fiet ergo, vbi æger morbo accesserit? Eiusdem rei testem habemus etiam Gal. 2, com. in 6. epid. dicentem: *Plurimi fallaces morbi egros medicis haud obtemperantes euertunt, sicut pauci admodum tollent, si neq; deliquerit medicus, neq; æger, neq; minister, neq; aliud quippiam externum forte fortuna nocumento adsit.* In omni actione, vt agens efficaciter operetur docent Physici subiectum oportere præcipuo-

fitum esse, & ad recipiendam *ἐπιεργασίαν* agentis idoneum. Plus satis autem molestiæ Medicis facessit natura ipsa morbi: si accedat vero insuper rebellis voluntas hominis cum corpore subinde prius disposito ac disponendo, quid ibi boni sperandum? profecto aliud nihil, quam si actionibus medici refragatus fuerit eger & officium facere nolit, quod morbum sibi ipsi creabit difficilimum, ac non infrequenter incurabilem.

An vero non deploranda res est, cum per se alioqui incumbant nobis graues atq; insanabiles morbi, quod nos culpa etiam nostra ac sponte multos alios mitiores illis pares efficimus? Iustissime Hesiodus *πέσσιμον εὐμνῆσιν* appellat, qui nec ipse sciat quæ faciendæ sint, nec aliorum etiam prudentium monitis consiliisq; obtemperet. In hac igitur classe summo iure ponuntur ægri inobedientes, intractabiles, indociles, præfracti & duræ cervicis, ut scriptura sacra loquitur, vel nimis etiam rustici, auari, fordidi, inconstantes atq; inscientes, vel quouis modo medici actionibus contraeuntes, easque cum remorantes negligentesve, tum, in nihilum ut cadant, sua culpa procurantes.

Hæc in genere etsi satisfacere poterant huic capiti, ut magis tamen obuia omnibus fiant atque conspicua, ad facta hominum descendentes quædam docēdi causa adiiciemus, quæ fortasse aliquib. saniori iudicio præditis non erunt inutilia. Hippocrates lib. de Arte scribit, *Se eos mirari, qui quod multi moriantur, ideo artem esse negent Medicinam, & qua nam memorabili causa commoti, intemperantiam morientium causam mortis non statuunt, scientiam vero medicorum accusent: tanquam sane medici quidem ea, quæ non conueniant, imperare possint, ægri vero, quæ imperata recte sunt transgredi non possint.* Et addit ibidem: *Longe magis rationi consentaneum esse, ut ægri interitus sui sint causa quam medici. Hi enim sanamente sanoq; corpore curam aggrediuntur, presentia considerant, & de præteritis iuxta presentia ratiocinantur, adeo*  
*ut ægri*

ut egri quidam palam gloriari soleant, se illorum opera sanitati restitutos esse. At egri neque qua parte laborent, neque ob quam causam laborent, neque quid ex presentibus futurum sit, neque quid ex horum similibus fiet sciunt, dolent ob presentia, timent futura, & pleni quidem morbo, inanes autem ciborum, ea qua morbo grata sunt, assumere malunt, quam qua ad sanitatem faciunt. Virum igitur verisimilius est, hos ne ita affectos alia facere, qua medici non iusserunt, aut medicos prestantes non convenientia imperare? Nonne multo magis hos quidem, qua conueniant, iubere, illos autem temere & impotenter nolle obedire? atque sic inobedientes in mortem incidere? Quae sane, qui non recte considerant, causas (mortis) ad hos qui inculpabiles sunt referunt, eos vero, qui maxime accusandi sunt, a culpa liberant & defendunt.

Hæc Hippocrates, quibus nihil verius dici poterat, atque adhæc nostra tempora accommodatius. Quid igitur per inobedientiam ægrotorum hoc loco intelligamus, particularibus exemplis aliquot declarandum censeo. Inde autem exordiar: Cum medicus indicat methodum, qua in curatione procedendum, & quibus rebus opus sit, vna scilicet post aliam, quodque cum pharmacis coniungi oporteat diligentem obseruationem certæ ac conuenientis diætæ: nolimus ista, inquit, tam longa & intricata, dic vel propone aliquid breue & ἐπιτόμιον: quasi in manu aut voluntate medici sit mutare ordinem rerum in natura atque arte. Sunt quidam morbi tardi & χρονικῆς, quorum motus non nisi longiori perficitur tempore, sunt quædam causæ materiales, quæ subito vinci aut tolli nequeunt. Id igitur tempus pro libito breue aut breuissimum facere non licet, sed licet breuius solito reddere, quantum id natura rei tolerat atque concedit. Inde exortæ sunt appellationes medicamentorum incidentium, attenuantiũ, detergentium, concoquentium, euacuantium, digerentium, reuellentium, &c. quorum sane ἐνέργειαι non

nisi in tempore absoluuntur, nec vnum absque alterius ope quicquam utile præstare solum potest.

Non igitur, quod initio dicebam, credunt plerique Medicinam artem esse, quæ per indicationes procedat, indicationum autem non vna est ratio.

*Primæ* à morbo morbi que causis sumuntur. Interdum symptoma cum nimium ingrauescit curam ad se pertrahit, vel ad præseruationem medici intentionem abducit. Aliæ deinde indicationes sumuntur à viribus corporis, à loco affecto, à temperatura, habitu, natura, ætate consuetudine, sexu, proprietate indiuiduali (vt vocant) ipsius ægri, à regione, tempore anni & aëre: Ex quibus omnibus discit medicus, & quid, & quantum, & quo modo, quo tempore, quo loco agendum sit: modus enim agendi in plurima alia obseruatu necessaria diuiditur. De hac re legatur doctissima Cornelii Celsi in opus suum præfatio.

Hæc omnia isti pro nihili rebus reputant, & cum in istis vel omnibus, vel plerisque, multa enormia errata commiserunt, & necessitate urgente coacti, tarde tamen, medicum aduocarunt; nihilo minus postulant, atque flagitare audent, vt medicus statim omne malum depellat, perinde ac si illa priora plane nihil nocuerint, aut quasi morbus sit tale quiddam, cuius nulla sit vis, vel actio, vel efficacia, ad male afficiendum vel resistendum. Nec volunt ferre, cum quis dicit ipsos sibi mali causam esse, nullumque suum agnoscunt erratum, & malunt cum mendacio in medicum mori, quàm vera fatendo & bona faciendo paulo serius conualescere. Postquam ergo ita tarde aduocant medicum, inualefcentibus symptomatibus grauissimis morboque fauiente, quis tum temporis ex augmento vel statu morbum ad principium reuocare queat: aut ex principio statim declinationem generalem efficere? Ista vero non medicis solum, sed naturæ quoque impossibilia sunt, *nam quæ præterijt hora redire nequit, occasio- que*

que præceps, & sola frõte capillata, qua prehendi possit, à veteribus dicta est. Quamobrem cunctatio istiusmodi cum magno sæpe malo coniuncta est, & abusus ingens est artis, vsitatissimus tamen, quod raro patiuntur homines curam integram institui methodicamq; cui rei non negarim, quin medici multi magnam olim occasionem ipsi dederint, primũ sua auaritia, cui pauperes satisfacere non potuerunt, secundo quod totam artem imperitissime ad vnicum genus diuinationis vrinariæ contulerunt. *Verum de hoc alibi.*

Frequentissime hoc etiam fieri experimur, vt æger pertæsus morę, quantumuis necessariæ atque salutaris, & quadam erga medicum diffidentia ductus, (quem suspicetur vera remedia ignorare) alium subinde medicum quærat, nimisque varia tentet, vbi fieri non potest, quin multa diuersa, contraria, pugnancia & inconuenientia adhibeantur, ignorantibus videlicet posterioribus, quid & quantum perfecerint priores medici, vel ignorantibus etiam prorsus, an alius ante ipsos curæ præfuerit. Ex qua re & perturbatione plurimum labefactatur corporis natura, morbusq; exasperatur, vt tandem insuperabilis euadat, dum nullo ordine certo ac legitimo regi se patiuntur ægri.

In tali vero peruersitate morum etiam hæc calumniandi occasio arripitur: cum medicus feliciter maxima incommoda & pericula, quæ impendebãt, amolitus est, postea sanatos se dicunt homines solius naturæ beneficio, postquam scilicet medicamentis vti desierint (quanquam fieri potest, vt nonnulli naturam nimis interdum medicamentorũ vsu onerent) & magna obstinatione adfirmant morituros se fuisse, nisi medicum à se ablegassent. Atq; in tali momento morbi, postquam labore, sedulitateque prioris medici res in tuto iam esse cœpit, si felix quædam fortuna vel imperitissimum homuncionem ad ægrum perduxerit, ille deinde omnem seruati hominis sibi laudem ascri-

bit, assentientibus sæpenumero ipsis ægrotis. Sin autem malus iste in præcipitium deduxerit negotium & extrema pericula, plerumque error huius imputatur primo meliori atque innocenti, qui miser pro fidelissima opera sua etiam insignem hanc ingratitude cum mendacissima calumnia sustinere cogitur. Sed hæc communia habet cum omnibus bonis in omni vitæ genere. Sic turbulenti ciues alios pacis amantes, & publicæ tranquillitati recte consulentes, seditiosos appellant, Christum & Paulum Pharisæi pro falsis doctoribus, id quod ipsi erant, traducebant.

Quotus quisque est, qui cum meliuscule incipit habere, vel ob alia negocia rei familiaris, quam vitæ & valetudini longe præfert, non statim curam omnem abiiciat? Quod si redeant insultus morborum, nunquam in seipsum, sed in solius medici, vel inscitiam vel negligentiam postea accusationem omnem conuertit. Multi etiam nimis delicati reperiuntur, qui quamuis periculum suum intelligunt, diligentiam fidemque Medici agnoscunt: tamen animum inducere non possunt, ut necessariis remediis omnibus utantur, quod apud mulierculas est crebrum. Puerili quidem ætati, & iis, quorum natura non vitio consuetudinis, sed inuita etiam voluntate auersatur vsum pharmacorum, merito in hac re condonandum est aliquid. Alii vero molliculi & effæminati non ferimus talia, *inquiunt*, quæ per os sumuntur, quæ in apothecis præparantur, quæ amara sunt, fastidiunt potiones, catapotia, ecligmata, clysteres, & purgatoria alia non admittunt in maximo interdum suo damno. At nonne quæso insignis fatuitas est ista? cur accersitur ab iis medicus, si medicamentorum vsum nullum sunt admitturi? an verbis volunt depelli morbos, quod remedii genus sagæ & venefici pollicentur? Certe etsi sermone non confitentur, animo tamen nihil magis quam tale auxilium expetunt, quantumuis impium & prohibitum. Dum igitur ni-  
mis ab-



mis abhorrent medicamenta, & tanquam in potestate morbum haberent, satis diu sic deliberant, differamus rem dicentes ad biduum vel triduum, & animaduertamus, quorsum res euasura sit: interim elabuntur optimæ occasiones & oportuna tempora aliquid vtile agendi, quæ deinde reuocare non licet. Id Hippocrates monuit, libro de decenti ornatu: *Neglecta ea, quæ circa temporis occasionem administrare oportebat, impetu suo progressa occupant ac perimunt, non enim est quod ope ferat. Ut si calor atque incendium febris acuta nullo obstante perurat viscera, temperiem prorsus pessundabit. Vel si materia eaductioni parata non educatur, decumbet ad nobilem partem aliquam unica etiam interdum diei tempore prætermisso, cum gravissimo vite periculo. Semper igitur nocuit differre paratis iuxta Poëtam. Tradidit Galenus 1. ad Glauc. Occasionem omnium cognitum difficilissimam esse, cum adeo sit præceps & quasi momentanea, ut circa ipsam sæpenumero non solum vulgares, sed & optimi fallantur medici. Nam cum semper fluant nostra corpora, ( ut eodem loco optime scribit interpretes Stephanus Atheniensis ) & variis subinde modis se habeant, præsidia etiam in ipsis diversa esse, & alia singulis occasionibus necesse est. Nequaquam ergo occasio comprehendendi potest, ob idque infortunia speique frustrationes non idiotis tantum, sed optimis etiam medicis euenire conspiciamus. Verum idiotæ ob suam ipsorum imperitiam cadunt, artifices ob rei incomprehensibilitatem.*

Eant ergo nunc decumbentes, adque suum arbitrium reuocent, quæ in morbis hoc vel illo tempore fieri velint, aut non velint, & si res secundum vota non successerit, in medicum culpam deinde omnem reiiciant. Non considerant isti æquum esse, ut maior etiam medicis quam legisperitis venia concedatur, si non semper victoriam obtinuerint: his enim cum voluntate hominum mutabili, cui occurri facilius & obisti po-

test, res est, at illis cum natura, quæ vno certo modo agit, nec pro arbitrio, aut secundum vota hominum, sic vel sic tractari permutarive potest. Multa quidem obstare solent in foro litigantibus, ne ius suum consequantur, improbitas, versutia, potentia aduersarii, qui muneribus & favore aduersam partem premit, iudicesq; aut testes corrumpere potest, diuitiis etiam diuturnam litem efficit, vt tædio & inopia coactus alter causam deserat: iniquitas item iudicis, mora temporis, sumtum magnitudo, auaritia, vel inscitia & præuaricatio procuratoris vel aduocati, causæ perplexitas, pœna ite diuina.

Non pauciores aduersarios, aut plures, etiam habet vnà cum medico sanitas in ægro restituenda, malitiam vel magnitudinem, potentiamque morbi, debilitatem proprii corporis ac virium, vt cum quis est φύσει καὶ δυνάμει νοσῶν, vel in extrema senectâ constitutus, diuturnitatem temporis, quo inueterauit morbus, quæ enim tarde fiunt, tarde etiam recedunt, inscitiam vel negligentiam Medicorum aut Pharmacopolarum quorundam, peccata adstantium multiplicia, casuum variorum metum, pœnam aut voluntatem diuinam, rabiem perpetui hostis humani generis Diaboli, & ministrorum ipsius maiorum atque veneficorum, egestatem & miseriam fortunarum, suos denique quisque mores habet, quibus salutem suam remorari potest, de quibus iam in hoc capite tractamus. Quid contra tot inimicos valentissimos vnus medicus etiam optimus perficere valeat? Merito ne igitur aut recte aut iuste omnis semper causa non conualescentis ægroti, in medicum conferenda est? Minime quidem hoc facient boni viri, & naturæ conditionisque vitæ humanæ intelligentes, imperitorum vero & stultorum calumniæ fortiter contemnendæ nobis erunt, ac Deo omniscienti vocationis cursus committendus.

Huius generis & hoc est, quod præ mollitie nihil  
fere

fere pati æquo animo possunt, quod sit molestum, unde sæpe accidit, ut mentiantur magnitudinem doloris, atque ea animi deiectione & querelarum immensitate medici intentionem à necessariis ad minus necessaria auocant, in quo ipsi plus sese quam medicum decipiunt. Sæpe natura vomitum suscitatur non inutilem, sæpe dolor capitis tolerabilis cū febre incidit, aut tormina quædam non maxima in ventre persentiuntur, eiusmodi igitur symptomata verbis ita extollunt, ita lamentabiliter remedia & mitigationem flagitant, ut animam exhalaturos inde existimare possis, nisi succurratur. Aliquid omnino ægro ferendum est, neque omnis dolor & molestia minima statim remediis amouenda est, & interim alia mala grauiora irritanda vel negligenda. nam fieri potest, ut quæ symptomatibus talibus adhibentur, morbo interdum sint aduersa. Id igitur non expedit, nisi vera & euidenti urgente necessitate, sin autem fiat crebrius & diutius, absque noxa certa abire non poterit: nihil obstantibus vsitatis ac detestandis empiricorum blandimentis, qui vno die septies pro ægrotantium querelis remediorum formas mutare solent, & singulis punctiōibus vel flatibus singula auxilia statim opponere.

Neque desunt intemperantes etiam, qui tenuem victus rationem & abstinentiam non ferant, & quamuis pollicentur se omnia, quæ præcipiantur, facturos, tamen facto & re ipsa nihil horum exequantur: quæ temeritas magna est, ac furori pene similis, namque & seipso manifesto discrimini obiiciunt, & sumtus frustra expendunt, & medici actiones perturbant, operamque omnem ut ludat, in causa sunt. De hac re insigne exemplum apud Celsum extat libr. 3. ita scribentem: *Facilius in seruis quam in liberis tollitur (Hydrops) quia cum desideret famem, sitim, mille alia tedia, longamque patientiam, promptius his succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est.* Sed ne hi quidem, qui

sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideoque non ignobilis medicus, Chryssippi discipulus apud Antigonom regem, amicū quendam eius notæ intemperantiæ mediocriter eo morbo implicitum, negavit posse sanari. Cumque alter medicus Epirotes Philippus se sanaturum polliceretur, respondit illum ad morbum ægri respicere, se ad animum. Neque eum res fefellit, ille enim cum summa diligentia non medici tantummodo, sed etiam regis custodiretur, tamen malagmata sua deuorando, bibendoque suam urinam in exitiū se præcipitavit. Plutarchus item in Alexandri M. vita refert, febricitasse Hephæstionem regi carissimum, qui eum ætate integra & militari consuetudine subductum per abstinentiam cibum ferre nequiret, cumque Glaucus medicus in theatro aliquando absens esset, gallum prandit assatum, & ingentem vini craterem hausit, quam obrem inualecente morbo paucis post diebus moritur: Alexander miserabilem medicum in crucem egit.

O durissimam & iniquissimam medici conditionē, si ægrorum adstantium & Pharmacopolæ culpam omnem ipse præstare debeat! O iniustissimam etiā regis crudelitatem! nisi forte (vt verisimile est) medicus iussu eius perpetuo ægrotanti adstare debuit, idque facere propter ludos theatri neglexit.

Quin aliis etiam ægri clam medico vtuntur, tum cibis, tum potionibus, tū quod deterius est medicamentis aliorum consilio oblatis. Vbi facile accidere potest, vt medico conāte adstringere alius relaxet, aut ad partem affectam trahat illo auertente & reuellente, vel excalefaciat illo refrigerationem moliente: quæ contraria, si concurrant, nunquam naturæ salubria esse queunt, ac ne sanæ quidem atq; integræ nedum morbo afflictæ. Quapropter de hoc ipso Hippocrates medicos monuit, obseruanda esse ægrotorum peccata, per quæ multi sæpe mentiti sunt (*inquit*) in assumendis  
his,

his, quæ ingerenda exhibentur, postquam exofas portiones non accipientes, aut pharmacis datis, aut alia curatione adhibita peremti sunt, & factum quidem hoc, non ad ipsorum confessionem vertitur, verû medico culpa imputatur.

Similiter vehementer erratur hoc tempore ab iis, qui præscriptam rationem victus, & aliarum rerum perinde ac non necessariam negligunt aut confundunt, ut cum ægri in medio febrium & acutorum morborum statu dormiunt, cum vberiore potu vini, vel frigida (quanquam huius abusus in hac Germaniæ parte non est creber) vel nimia quantitate aut qualitatis noxia cibo vtuntur: idque plerunque in accessionibus, ubi tamen cibum subtrahere vt plurimum oportet, neque siti vel edacitati aliquantisper resistere possunt. Peccant alii Venere, alii intempestiuis laboribus, vel nimio etiam somno, alii iracundia, alii, & quidem plurimi in eo, quod æstum febrilem non tolerantes, lectos ac tegumenta abiiciunt, & perspiratû caloris magno sanitatis detrimento impediunt, retroque cedere cogunt, & obstructions internas putredinemque augere id, quod per cutis meatus foras abiturum erat.

Contra alii sunt, qui nimium festinando plura etiam medicamenta assumere subinde volunt quam necesse est, neque lente secureque se restitui patiuntur; quemadmodum Alexander, ex Cydni fluminis lauacro lethali ægritudine oppressus, citum, validum, ancepsque remedium potius, quam securum & tardum præoptabat. Ita cum post quatuor aut quinque dies opportuna occasio offertur corporis expurgandi, illi hodie malunt id fieri.

Reperiuntur præterea, qui cum diutissime fuerint imbecilles, non satis tamen habent, si ex præsentem morbo liberentur, sed volunt plane ex omni parte fortissimi esse, quod ipsis tamen natura negavit. Veluti febri-citans aliquis, qui antea epilepsia aut diuturno malo

ventriculi laboravit, non contentus est à febre si liberetur, nisi etiam hæc mala prorsus auferantur. Itaque eiusmodi ingenii homines medicos non facile à se dimittunt, priusquam id quod optant consequantur, & hac ratione plurima tentant atque ingerunt, quibus plus sibi nocent, quam saluti consulant. Ita ab vno recto permulti sunt aberrationum modi.

Itidem peccant ægri, dum corroborari vires volūt, statim ab initio morbi, quem aliud nihil esse arbitrantur, quam imbecillitatem virium, cū hæc creberrime symptoma sit ad morbum, morbique causam consequens, neq; tum emendari aut restitui queat, nisi causis ablatis vel mitigatis. Sæpe quidem viribus collapsis primo & ante omnia succurrendum est, idque præcipue nutrimentis conuenientibus: sed non est tamen vnica corroborandi ratio semper, neq; perpetuo imo raro hoc locum habet. *Corpora impura quanto magis nutries, tanto magis lædes*, inquit Hippocrates. Grauius ergo errat hominum vulgus, dum vires augeri & firmari ante morbi medelam posse, & corroborationem per solam multitudinem alimentorum perfici opinatur. Exemplum hoc esto: In febre calor molestus cordi & corpori vniuerso ad formam essentiamque febris pertinet, neque ab eo liberari potest homo, nisi febris ipsa depulsa fuerit, & tamen tanta est ignorantia multorum, vt petant solum æstum abigi, & tū libenter febrem se toleraturos promittant, roburque recuperaturos se confidant. Ignorantia hæc in idiotis ferri poterat, si dociles essent, & rectis monitis parere possent, at in præfractis vel nasutulis etiam, qui sapientiæ cuiusdam persuasionem tument omnino reprehendenda est, & medici in eo innocentia ac dignitas vindicanda.

Hinc iam intelligere cordatus quiuis potest, quam male consulant ægris muliercule, & Theologi nonnulli *ἄλλοτεροίσισινοι*, dum nullo discrimine quauis hora moment, vt cibo se reficiat æger, vt medicamentorum vsui  
 valedi-

valedicat, à quibus sentiat se tantum debilitari magis, vt indicet quarum rerum appetitu teneatur, easque sine metu præparari curet: ac vt magnum quid facere videantur, mira religione & quasi lacris gestibus offerunt aquulam aliquam, quæ naribus & cordi admota vitam iam discedentem, & sarcinas colligentem ex via reuocet: huic vero sine trepidatione fidere iubent: & aliæ similes ineptiæ quotidie excogitantur plures. Interim causa morbi nullo aduersante libere dominatur, sobolique suæ, id est, morbo incrementa dat, donec ægrum iugulet. Quo tunc se proripit illa sapientia, quæ censorio consilio medicos procul facessere antea iussit? Sic autem se res habet: gratificandum est nonnunquam agris aliquid appetentibus, sed fiat hoc cum iudicio recto & artificioso, non muliercularum, sed medicorum: cibus enim deterior, paulo suauior tamen, concedi interdum potest. 2. *Aph.* 38. Id vero ad artem pertinet scire quomodo & quantum: neque desideriis ægrorum vel stolidis opinionibus fœminarum committendum est. Neque credendum vtique nostris (*de Romanis suis sic loquitur Celsus*) est, qui cum in aduersa valetudine vinum aut frigidam aquam concupierunt, deliciarum patrocinium in accusationem non merentis stomachi habent. Est frequentissimus idem hic sermo apud nostros etiam, quâdo potiones Syruporum, aut decoctionum, aut aquæ hordei ægre ferunt, vt ad stomachi naturam confugientes, hunc vinum poscere clamitent, alioqui frigore periturum. Decet bonum medicum scire, quomodo & quando gratificandum sit languentibus, neque volumus vt asperum, toruum atque immitem se exhibeat, tantum tamen etiam animi habeat, vt autoritate sua nocituris desideriis contradicere audeat. Cum aut nulla aut leuis secutura videtur offensio, quæve per ægri in cæteris obedientiam facillime corrigi queat, æquum est aliquid indulgere cupiditati, etiam paulo ante iustum tempus, sicut Galenus

de se testatur, quod interdum multam gelidam aquam concesserit, in his morbis, in quib. postridie vsus ipsius conueniret, hoc solum gratificatus, quod non optimū plane tempus expectauerit. At si multis adhuc diebus non conuenisset, certe nullo modo concessurus fuerat.

De hac re extant utilissimæ cōmonefactiones Hippocratis & Galeni in 6. epid. eo textu: *Gratia egrotantibus.*

Quod si ergo aliquid à morbo affectis, nesciēte medico, noxium vel intempestiuum assumtum commissumve fuerit, tum periculum sane præ foribus erit. Sed redeo ad id, vnde primo cœperā, nempe ad futilia, vanaque iudicia vulgi de medicina.

Quemadmodum sunt multi, qui non putant medicinam artem esse: ita multi quoque sunt, qui artem esse non inficiantur, sed diuinatricem esse volunt, quo in errore quamplurimi mortalium versantur, maxime persuasum habentes, medicum nulla alia ratione adiri posse, nisi cum vrinis in prima acie collocatis.

Mittunt igitur ad medicos vrinas solum, male collectas & dispositas, & loco harum etiam interdum alios liquores tentandi ac fallendi gratia, nihil de conditione personæ dicunt, nullas aperiunt causas atque occasiones mali sui, interdum quidem quod metuāt has profari, vt quando vxores à maritis plagas acceptas dissimulant, interdum vero, quod ipsos pudeat aliis notas eas fieri, vt qui lue Gallica infecti sunt ex commixtione & congressu scortorum: maxima tamen ex parte ideo, quod credant medicum illas vniuersas, symptomata quoque tam præterita & futura, quam præsentia, ex lotio cognoscere posse, aut si non possit, medicum non esse. Quid inquit, (vel cogitant saltem) vis ME tibi hæc narrare? veni potius vt ex TE audirem aliquid, qualis tu medicus es, si hæc in lotio non cernis? Præclare igitur rem gessisse se arbitrantur, si medico interroganti



roganti de circumstantiis necessariis nihil responderint, vel aliena & conficta protulerint.

Multi tam prudentes & cauti, imo religiosi, videri volunt, vt metuant, ne medicus secreta aliqua & ἀπίστα rimetur, dum quærit de longitudine, modo, causisque externis morbi, de genere vitæ, de symptomatibus ac signis, & aliis: denique videntur sibi habere mille obstacula, causasque iustissimas, ne verum dicant, ne autem medico mētiantur, nihil est quod ipsos impediat. Religioso igitur gestu & arte composito vultu accedunt, sacrumque illum & beatum laticem offerūt, neque aliter à medicis atque à magis & diuinatoribus responsa petunt, & omnia insuper quæ desiderant vno teruncio emere semel volunt. Præterea ex superstitione quadam præcipue ad hoc opus dies Dominicas eligunt, sacris scilicet rebus destinatas, istique benedictæ aquæ præ cæteris accommodandas. Tantaque est aliquorū pertinacia, vt dulce eis sit stultæ isti persuasioni immori ēt, nec de sententia decedere, quādo non reperiunt, quales ipsi volunt ac desiderāt ἰσχυροῦς, cum aliās seruari possent.

Volunt itaq; ex vna illa contemplatione vrinæ præscribi statim leue aliquod & familiare obuiumque seu parabile medicamentum in pauca quantitate, quo omne malum semel depellatur, nulla aliarum rerū habita ratione (vnum enim contra vnum expetunt, sæpe quoque multiplex sit, quod illi vnum esse ducunt) id si non assequantur, statim primo neglecto, vel etiam verbis contumeliosis, conuitiisque affecto, ad alium decurrunt, quem simili tractare modo, donec vel casus remedium adferat, vel ipsi tandem malo succumbant.

Hanc vitiosam consuetudinem vehementer optarim ab ipsis medicis emendari, neque enim ab aliis emendatio expectanda est, neque etiam illa difficilis futura esset, si omnes in vna ciuitate consentirent, impe-

ritos rectius instituerent, numulisque aliquot paruo tempore carere vellent. Postea enim recte edoctis hominibus de hac re, sine dubio & arti iustus honor haberetur, & honesta quoque præmia non defutura essent, benedicente Deo curis atque laboribus medicorum, in re plana, aperta, iusta, legitima, recta, & cum veritate consentiente.

Verum de hac re non est quod plura hic differamus, cum alibi copiosius explicata nostra extet sententia. Pauci sane recte sentientes & agentes, in tanta multitudine cõsueta via euntium, quid efficiant? Calumnias & obrectationes iniquissimas subeant necesse est, odia etiam quorundam suscipienda, & multis emolumentis carendum. Quod si recta facere per alios non licet, recta tamen sentire ac vera dicere & olim licuit, & in hoc quoque negotio nobis vnã cum multis doctissimis sapientissimisque aliis licebit. Nec vero tacenda est aut dissimulanda auaritia hominum quorundam locupletum, (pauperibus enim gratuita opera ex caritate debetur) quæ sæpe in causa est, vt omnem medicam opem negligant, dum pecuniæ scilicet metuunt sordidi Eucliones, maluntque diris cruciatibus nonnunquam torqueri ac perire, quam sumtum mediocre curationis tolerare. Aut certe si medicos implorent, tanta est tamen ingratitude ipsorum, vt mirum non sit, si medicus multum de promptitudine atque alacritate sua ob id remittat interdum, quanquam fortassis fieri hoc non semper debebat: quis tamen omnium animos & impetus affectuum potest regere?

Videndum etiam est agrotantibus talibus, non tam quid alii faciant, quã quid ipsi sint meriti. Omnes natura duce odimus & fugimus ingratos, Salomonis quoque hæc sacra vox est: *Non recedet malum de domo ingrati.* ex quo aliisque infinitis locis apparet gratitudinem tam esse à Deo præceptam, quam studium beneficiendi. Cumque Syracides dicit: HONORA MEDICVM,

DICVM,

DIEVM, honorem non in verbis nudis ac pharisaicis gestibus ponit, sed in iudicio animi, affectu vero cordis, & remuneratione digna laboribus curisque impensis. Incidunt vero isti ingrati iusto Dei iudicio in immanes demum tortores, quibus nullo auro satisfacere possunt, à quibus tamen non sanantur, cum bono viro & perito sæpe drachmam denegarint. Hinc fit vt iuxta Satyricum:

*Pœniteat multos vana sterilisque cathedra,*  
hoc est, professionis medicæ. Et certe quibus nec iusta methodo artem tractare licet propter agrestes mores & improbitatem hominum, nec iusta etiam laborum præmia capere licet, veniam illi merentur, si de alio vitæ genere suscipiendo deliberent, in quo & Deo & hominibus plus seruire queant. Quantum quæso in helluationes aut vestimentorû luxum pecuniæ profunditur? quantum etiam datur rabulis & forensium causarum patronis, de re aliquando minima litem persequentibus? atque ii tamen nullis fere beneficiis contenti acerbe extorquent ingentia operæ suæ precia, aut eam omnibus palam denegant, idque iure facere videi volunt. An corporis mala minora sunt iis, quæ fortunæ bonis accidere solent? Res scilicet instituta est ac geritur iuxta veterem ironiam.

Τίθει μισθὸν εἶρω μὲν ἄς δέκ', ἰατρῶν δ' δραχμῶν.

Κόλακι τάλαντα πέντε, συμβούλων χαπνόν.

Πόρνη τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον.

Non hæc dico quasi sentiam omnia loca omnes ingratos producere; nam sunt, vbi dignus & arti & artificibus honos habetur. Sed quoniam de præsentibus odiosa esse solent exempla, veterum iudicia cōmemorabo quædam, vt quo loco atq; qua dignitate olim Medicina fuerit, lectores cognoscant.

Prætereo quanta Hippocrati ab Artaxerxe Persarum rege oblata fuerint munera. Erasistratus Aristotelis filii genitus Antiocho rege sanato centum talen-

tis donatus est à Ptolemæo filio eius, quanquam hoc libr. 7. Plinius Cleombroto Ceo, nisi fallor adscribit. C C L. H--S. annua mercede fuere apud principes Cassius, Calpitanus, Arūtius, Albutius, Rubrius. Stertinius imputavit principibus quod H--S. quingenis annuis contentus esset, sexcena enim sibi quaestu vrbs fuisse numeratis domibus ostendebat. Par & fratri eius merces à Claudio Cæsare infusa est. Crinas Massiliensis centies H--S reliquit muris patriæ, mœnibusque aliis non minori summa extractis. Ludouicus Galliaë rex (XII, puto) quot millia coronatorum medico suo etiam vno mense persoluit? quanto stipendio annuo aliquot Medici in Italia docuerunt? Quantum Petro Aponensi pro vnus diei duntaxat itinere & pernoctatione numeratum fuit? Quam præclara priuilegia ab Impp. medicis olim sunt concessa? Lex enim hæc est Constantini Lib. 10. Cod. *Medicos & maxime Archiatros, grammaticos & professores alios literarum, & Doctores legum, una cum vxoribus & filiis, nec non & rebus, quas in ciuitatibus possident, ab omni functione, ab omnibus oneribus, vel ciuilibus vel publicis immunes esse præcipimus, & neque in prouinciis hospites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi vel exhiberi vel iniuriam pati: ut si quis eos vexauerit pœna arbitrio iudicis plectatur. Mercedes etiam & Salaria eis reddi iubemus, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituunt.*

Hæc ideo recensenda esse duxi, vt ostenderem magno in precio olim fuisse apud sapientis. & potentis. principes Medicinam, neque tam cōtentim habitam, vt nunc fieri solet, cumque illi maximis honoribus atque præmiis Medicos affecerint, iustum esse, mediocritatem aliquam hodie quoque seruare, neque plane seruilem facere artem. Omnino igitur locupletes liberalissimos esse conueniebat, vt tanto æquiore precio medici pauperibus, vel gratis etiam, operam nauare pos-

re possent. Verum ut nunc mores sunt, quemadmodum validi mendicantes, homines ignavi, ocioque perditis, veris egentibus eleemosynas præripiunt: ita diuites à pauperibus medicorum fere benevolentiam & studium auertunt abducuntque, dum incredibili tenacitate sua omnem ardorem benefaciendi in eis extinguunt. Solent istiusmodi homunciones medicorum amicitiam astute expetere, & mirifice quoque ambire, non virtutis studio aliquo, sed solam hanc ob causam, ut in morbos delapsi gratuitum deinde propter amicitiam ministrum habeant. Verbis quidem liberalissimi sunt, prolixè pollicentes, sed splendide simul mentientes.

*Φίς μοι πάντα δόμν, πάχα δ' ὑπερβν εἰς ἄλλα δόίης.*

*Domine Doctor, inquit, ero gratus ne dubites, intelligo quid meam gratitudinem deceat, solvam liberaliter quantum tibi debetur, καὶ λώϊον: deinde nullus finis admonendi est: Sis diligens, sis assiduus in cogitatione de mea salute, commendata tibi sit vita mea, ego tibi præ omnibus aliis fido, nota est mihi eruditio & scientia tua: talia enim lenocinia verborum admiscent, interim denarium præ manu dant, cætera cum conualuerint à se expectari iubent: quasi vero medicus ex pacto teneatur carere mercede sua, si non omnis æger conualescat.*

Finis medici non est sanare (nam hoc semper fieri non potest) sed omnia si agat, quæ ad salutem recuperandam pertinent, tum officio satisfecit & à fine suo non aberravit, & siue æger restituatur, siue morbo succumbat pro officii tamen sui ratione honore ac præmio fraudandus non est. Talem ergo sapiens Plato legem condidit, lib. 9. *Quiuis medicus, si is qui ab ipso curatur, moritur inuito ipso, purus sit secundum legem.* Tandem vero admoniti, qui ægrotarunt (aut horum hæredes) de debito, aperti hostes fiunt: negant tantum deberi, dicunt leuem fuisse operam, iam se à pecunia non instructos esse, admonent patientiæ, criminantur hominem esse infatiabilem, inhumanum, auarum, & quid

non? Talia igitur medicū, vt credo, facient plane tuum atq; obsequentissimum paratissimumq; si quando iterum morbo corripere ipsiusq; auxilium denuo implores. Quid ni? aiunt, tu mihi ex Christiana caritate obstrictus es, & hoc officium in necessitate laboranti debes, non potes salua conscientia opus vocationis tuæ mihi indigenti denegare. Talibus ingeniis fallacissimis & supra responsum est, & nunc respondeo hoc modo: Scio & memini, ô hypocrita, quid homo homini, Christianus Christiano debeat, sed tu eiice prius trabem de tuo oculo, postea de alterius festuca etiam extrahenda sollicitus esto. Faciet quidem pius medicus, quæ sui sunt officii in necessitatibus proximi, nihil deterritus peruersitate hominum, & Deo vias suas commendabit. Tu vero qui ab alienas illius à te animum manifesta culpa tua & ingratitude detestanda, qui fit, vt non in te ipsum inquiras primum, culpam agnoscas, emendes, & scandali autor esse desinas? Habes præterea alios quorum consilio vttere, phisicos scilicet, vt vocant ordinarios, qui publico stipendio aluntur, quorum ope singulis horis frui potes, hos adito, & non eris derelictus. Hi cum tibi præ foribus & à latere vicini sint, scito neminem alium obligari, nec quo ad homines, nec quo ad Deū, vt tibi sordidissimo gratis opera sua præstet atque seruiat. At hic vlcus latet, quod Phisici illi publici maiore autoritate & successu precium operæ extorquere à te possunt, cum minore etiam quandoque verecandia teneantur, ideo fugere te eos fingis ob nefcio quas alias causas. Quod si omnino adhuc gratuitas operas impudens postulas, age perge sic per omnes vitæ gradus: fac theologos gratis esse in officio? iube milites gratis præliari, effice vt Iureconsulti absque præmiis & muneribus causas agant, denique operariis miseris, qui manu victum quærunt, diurnam mercedem detrahe: quam tu confusionem in vitam vniuersam introduces? quem habebis obsequentem, aut furoris approba-

probatorem? Tu ipso quid absque spe commodi unquam fecisti, aut facturus es?

Sed abrumpere hæc, quæ ego communi quadam deploratione vitiorum adicere volui, neque dubito quam plurimos futuros, quibus vsu ipso edoctis nimium vera hæc, quæ dixi, esse videbuntur. Facere autem non possum, quin insuper vetustissimi Hippocratis sententiam huc adscribam, qui tot iam retro elapsis seculis, ipse minime pecuniarum avidus, in Præceptionibus utile esse adfirmavit à mercede incipere: *Conducit enim, inquit, hoc universo negotio: agroti quidem huiusmodi cogitationem inducis quod videlicet, non ipso relicto abibis, si vero non pacisceris, quod ipsum negliges, & de quibusdam in rem presentem non admonebis. Curare igitur oportet de constituenda mercede inutilem enim esse putamus eiusmodi agroti cogitationem, multo autem magis in morbo acuto. Morbi celeritas, temporis occasionem non præbens ad reversionem, non impellit bonum medicum ad querendam suam commoditatem, sed ut magis existimationis sue rationem habeat: itaque tunc melius est, ut SERVATIS EXPROBRET quàm ut lethaliter affectos præconturbet. Quamquam aliqui agroti id expetunt, hospitii ius & facilem malè depulsionem producentes.*

DIGNI QUIDEM QUI NEGLIGANTUR, NON TAMEN QUI AFFLIgantur. At vero remunerationis acerbicatem, absque preparante ad disciplinam cupiditate, hortor, ut ne valde inducas, sed & ad opulentiam & facultates respicias. Quandoque vero etiam gratis cures, ita ut gratitudinis memoriam potiore quam presentem existimationem auferas. Si vero occasio ferende opis se obtulerit, & peregrino & egeno, maxime talibus opitulaberis, si enim affuerit erga homines amor, adest etiam amor erga artem. Postea addit: Summum quidem opulentia agroti carere (id est carere se simulant) morum improbitate adorantes & ingrati evadentes. Cum autem consequi possunt, ut ditentur, de mercede asseueranter affirmant, sani esse

*volentes, questum nimirū ex usura aut agricultura affore producentes, & postea negligentes, &c. Hactenus Hipp. In Decr. quoq; part. 2. causa 15. q. 5. §. non sane: ex Augustino hæc citatur sententia: Non sane, quicquid ab inuito sumitur, iniuriose aufertur, nam pleriq; nec medico volunt reddere honorem suum, nec operario mercedem: nec tamen hæc, quæ ab inuito accipiuntur, per iniuriam accipiuntur, quæ potius per iniuriam non darentur.*

EX TAM MULTIS CAUSIS quas recitavi, quæ ab ægro proficisci possunt, quis iam non videt, morbum non solum protrahi deterioremq; reddi, sed & incurabilem fieri posse? Dixi igitur hactenus de causis in ægrotantibus ipsis hærentibus, propter quas contingat aliquando, vt ex morbis ad salutem nequeant perducī, propter falsam nimirum de arte medica opinionem & erga medicos ipsos diffidentiam, propter moræ impatientiam, propter delicias & molliciem & varietatem consiliorum, quæ ab imperitis amicis mulierculisque adhibentur, propter intemperantiam, contumaciam & inobedientiam eorum, qui morbo tenentur, propter vrinarii iudicii peruersitatem & miserandum abusum, deniq; propter auaritiam sordesque eorundem, vbi pauperes quidem iustam habent excusationem, ditiores vero nullam. Ad alias ergo causas deinceps progrediar.

QUEMADMODVM ad medicum Pharmacopola, ita ad ægrum referendi quoque sunt adstantes siue ministrantes ipsi. Non autem præcipue loquamur iam de talibus, qui dedita opera interitū decumbentis optant vel accelerant etiam, quiq; oderunt ipsum & sublatum esse cupiunt, sicut improbi & auari hæredes faciunt, quod de TIBERIO AVGVSTI priuigno memoriæ proditum est, & de Hazaele, qui post Benhadadum Syriæ rex fuit, & de Manfredo filio notho FRIDERICI II. Imp. qui iniecto in os puluino patrem suffocauit. Talionis autem exemplum ad ipsum Tiberium rediit.

Sic enim



Sic enim de exitu eius scribit Tacitus, annalium lib. 5. Macro (præfectus prætorianis militibus) intrepidus opprimi senem iniectu multa vestis iubet, discedique a limine. Sic Tiberius finiuit, octavo & septuagesimo ætatis anno, &c. Quis enim non videat horum sceleratis machinationibus decumbentes occumbere? quis ve opitulabitur, tum quãdo pro medicamento salubri clam venenum infunditur? Cuius rei in oratione Ciceronis pro Cluentio insignia & horrenda exempla recitantur. Ac docuit tales malus aliquis genius obseruare tempora morbi alioqui periculosa, veluti exacerbationes dolorum, animi defectiones, ventris profluvia, vt absit occulteturq; veneficii suspicio, & vi morbi æger perisse existimetur.

Verum alii sunt quoq; non ita mali homines, qui necessaria negligunt, præcepta à medico non exequuntur, nec præscripta exhibent, vel alia etiam suo consilio clam offerunt, non eo tempore quo conueniebat, sed maxime alieno, non iusto ordine, non debita quantitate & præparatione. Finge enim febricitanti hodie tempore quietis dandum esse medicamentum purgatorium, adstantes autem cras tempore accessionis exhibeant, nonne manifestũ inde existet periculum? Quid si vinum & aromata copiose concedant in febre ardente! Quid si magicis & impiis remediis incantationibusque vtantur, quod inusitatum non est, & iram Dei grauius prouocent? Occasionis rei bene gerendæ in omni vita vis maxima est, & præsertim in sanandis morbis, volucris enim est & præceptis, vnde *καρδὸς* ab Hippocrate definitur *in quo temporis non sit multum: experientia vero atq; audaciæ temerariæ sæpe finis est animantis internecio.*

Hippocrates itaque non sine causa in lib. *αὐτὸς δὲ χρῆσιμος* requirit, vt medicus aliquem ex discipulis præsentem habeat, qui instet, vt præceptis æger non amarulente vtatur, & quod mandatum est faciat. Deligito

autem, inquit, ex ipsis eos, qui iam in arte progressum fecerunt, quo ea, quæ utilia sunt, addant aut secure offerant, ut & in interuallis nihil te lateat. At vero imperitis nunquam quicquam procurandum committes: sin minus eius, quod male factum est vituperium in te recidet. Principes igitur huius felicitatis facilius participes nostro tempore esse possunt quam priuatae fortunæ homines, non enim omnium tantæ sunt facultates, ut in familia homines peritos alant.

Manifestum est tamen adstantium culpa non raro perire agros. E contra multum prodesse potest adstantium diligentia agris, hi enim cum inualidi decumbere cogantur, usu membrorum sæpe destituuntur, multa obliuiscuntur, à multis abhorrent, queruli ac morosi fiunt, medicamenta clam abiiciunt, nisi id caueatur, clamant *medice uiuere esse miserrime uiuere*: & tamen commodis adhortationibus ministratum facilius flectuntur, libentiusque assumunt, quæ alias nunquam fortassis degustarent. Indociles etiam & stupidiore aliqui aut pertinaces agrestibusque moribus sunt: quæ omnia incommoda industria adstantium leniri possunt, ita ut agrum medicus habeat qualem oportet. Prudenter itaque ab Hippocrate præceptum est, *non medicos & agrotos solum verum adstantes etiam officium suum facere oportere*. Et ibidem adiungit: *externa quoque rite comparata esse debere, at externorum quoque apparatus totus fere in adstantium potestate & manibus consistit*.

Per exteriores vero res non illa solum vulgaria intelligenda sunt, ad delicias magis & voluptatem quam sanitatem necessaria, ut adsint scilicet pocula argentea, pectines ex ebore, extensoria pura, nitida stragula, ut munde conficiatur cum potus tum cibus, quæque sensibus occurrunt omnia mollia, iucunda, grata sint, & similia: verum talia multo magis quæ ad salutem agro, restituendam aliquid momenti habeant, ut videlicet aëris repentina mutatio caueatur, locus decubitus sit idoneus, ad

neus, ad arctum vel septentionem spectans, lucidus vel opacus, prout videbitur res postulare, ventis non peruius, non nimis calidus frigidusve aut putrilaginem redolens, sed purus, quietus & absq; turbis tumultibusque vicinorum, in quo non facile exaudiantur canum latratus, ruinae, tonitrua, imbres, &c. praesertimque ea ad qua laborans natura sua expauescit.

Præterea, ne aduersam faciem splendori habeat, nisi in morbis vbi opus est, infestat nimius splendor visum debilem ac somno officit. Sit autem in lecto tali vbi se se facillime moueat, surgat, reclinet, adsint in promptum adminicula commoda motus, quibus manus & brachia nitantur ac fulciantur, adsint quibus in animi deliquio recreetur, caueatur ne quid triste aut quod iram concitet nunciatur, vel in conspectu ægrotantis agantur molestiam allatura, ne inimici admittantur quos odit, nisi placato prius animo reconciliationis gratia volens eos acciri iusserit. Sed ii aduocentur frequentesq; appareant, quibus maxime delectatur, ab iis enim persuasus cibos atque medicamenta facilius assumet, hilariorque efficietur. Adsint vasa necessaria & oportuna ad excipiendam vrinam, sputa, sanguinem, quorum conditiones medico sæpe consideranda sunt: in sudoribus abstergendis ne desint panni mundi calidiq; ne occurrat corpori aperto aer frigidus, & huius generis alia infinita, *quorum etiam Galenus meminit 1. de dieb. dec. 11.* Ut si æger incendio domus accidente, aut latronibus inuadentibus, aut fluuio inundante, subito effugere cogatur, quanta ei noxa aduenerit quorsum attinet referre? Simili modo, si tegmen aliquod delapsum vel parietem extimescat, simul & fugam repente moliatur, si pluuia item copiosior oborta capiti eius incidat, vel alius etiam humor, quomodocunque ipsum irrigauerit, vt locum mutare vigil esse & timere cogatur, etiam hoc non mediocrem ipsi offensam conciliabit. Quæ igitur ita inopinata veniunt (ad casum fortuitum

referenda) horum nihil medicus prænoscit, vnde nec futuram inde offensam conicere potest, nec prædictioni secundum morbi rationem factæ adicere. Hæc enim nisi rite fiant & caueantur, non crasim solum impediunt & huius iudicium, verum etiam saluti ipsi vitæ nocumentum inferunt. Vnde Galenus caute se vti prædictionibus scripsit, propter incertitudinem horum accidentium: *quapropter, inquit, nos merito, cum quispiam de agro aliquo euentum iubet prædicere, cum distinctione id facimus, dicentes: hic morbus soluetur isto die. primum si victus ratione a nobis, non ab alio quodam medico, regatur, deinde si nihil ipse peccet & faciat quæ iniunguntur omnia, postremo si nullus magnus extrinsecus error admissus fuerit.* Hinc apparet quanti momenti res sit, si exteriora nocitura prudenter quantum licet, quod per adstantes commodissime fieri potest, si officio suo non desint, & munere commisso diligenter fungantur, inque hos non male collocari mercedem quæ impenditur. Magnum enim bonum est, habere eiusmodi adstantes, qui sint ad ministeria multiplicia idonei, prudentes, ingeniosi, obtemperantes medici præceptionibus, quique explicare commode possint, quid ægris absente medico acciderit, amantes ægrorum, tolerantes molestiarum, quæ sane non pauca nec exigua referendæ sunt, veluti cum furiosi cohibendi sunt modeste, ne in puteos se præcipitent, aut aliter, vel sibi, vel aliis noceant, aut cum nimis fiunt in morbi doloribus, vel longitudine impatientes atq; morosi, &c.

Talia igitur omnia, nisi rite administrantur, & adstantes, si sint impii homines, stulti, inertes, ignaui, temerarii, inciuiles, quantum incommodi istud adferre queat ad impediendam vel *ἀεὶ γνῶσιν*, vel curationem, vel vtrumq;, ex dictis nemo est, qui non perspiciat.

Vbi iterum quorundam diuitum merito reprehendenda est auaritia, qui suis commodis ipsi desunt, non deligendo viros & homines cordatos industriosque  
 quorum

quorum opera & ministerio decumbentes vtiliter v-  
tantur, sed potius quemuis rusticum aut mendicum ex  
triuio obuium arripiunt, aut anum aliquam decrepi-  
tam ac dementem, cui triobolum mercedis loco nu-  
merent.

Huc pertinent etiam illæ causæ, cum ægri moriun-  
tur aut affliguntur morbo non sanato propter pauper-  
tatem & inopiam rerum necessariorum, & famem in-  
terdum, quod sæpe accidit in annonæ caritate, in bellis,  
vel ruri etiam vbi defunt idonei medici, medicamenta,  
fasciæ vel vnguenta & cerota Chirurgis. Item cum in  
infecto aëre & morbi naturæ contrario siue noxio co-  
guntur miseri ægri derelicti contabescere, veluti in ca-  
stris, quæ pestilens inuadit lues, sæpenumero accidit.  
Sic seruis & captiuis in triremibus miserrime habitis  
fere omnia defunt, cum alioqui etiam sani asperrima  
seruitute oppressi viuant. Sed hæc fortassis ad casum &  
infortunium quis etiam referat.

Caute autem in primis prudenterq; cum periculose  
ægotantibus agendum est. Natura omnes exhorresci-  
mus ad mentionem mortis, nam pœna est, quæ nemi-  
nem per se delectare potest. Nemo ergo medicus ad-  
duci se patiatur, vt ægroto mentionem testamenti con-  
dendi iniiciat: id enim ad desperationem salutis maxi-  
mum momentum habet, si is, cui eam post Deum ma-  
xime scit commendatam esse debere, male de illa ser-  
uanda sperare se indicet. Quod si necesse id fuerit ta-  
men, denūcietur potius per propinquos, aut per theo-  
logos, qui animæ curandæ causa adsunt. Accidit vero  
interdum, vt medicum ipsi ægri interrogent, quam de  
vita sua ac statu spem habeant, & nunquid consultum  
videatur, vt de vltima voluntate sua quid fieri velint te-  
stentur: in eo casu nequaquam conuenit, vt quis im-  
portunius respondeat, Morieris omnino, itaq; condes  
testamentum, vel vt quidam olim respondit: quid ni  
moriaris? mortui sunt etiã alii te longe præstantiores:

ἡγίτθωνε καὶ Πάτροκλῳ ὅπερ ὄτε πολλὸν ἀμείνων.

Vel ut alius quidam nostro tempore: moriaris sane, risum enim hæredibus relinques. Et iterum alius: te mortuo, vxorem tuam mihi adiungam. Hilariter potius & vultu, qui aspectu ipso bonam spem præ se ferat, consolandi sunt, & Christi Saluatoris fiducia erigendi, vt ne mortem nimis reformident, quam sciant non fore æternam, sed breue momentum duraturam, & ministram futuram, qua ad vitæ æternæ gaudia perducantur. Deinde exemplo regis Ezechiaë confirmandi sunt, ad quem Propheta dicebat: cura domum tuam & dispone res vitæ huius: caueant quantum fieri possit, ne lites & odia inter hæredes exoriantur, idque etiam vel optima in sanitate faciendum esset hominibus, atq; simul docendi sunt, vt cogitent nec propter testamentum factum ipsos citius morituros, nec propter non factum diutius victuros, &c. Parcendum enim est humanæ infirmitati, ne medicus, qui corporis tuendi gratia adest consternationis animi causa fiat, quæ deinde in vitæ detrimentum redundet. Sensit idem sapientissimus M. Cicero lib. 2. de Diuinat. cum scripsit: *Hoc homines probi non faciunt, vt amicis impendentes calamitates predicant, quas illi effugere nullo modo possint, aut medici quanquam saepe intelligunt, tamen nunquam agris dicunt, illo morbo eos morituros.* Etsi igitur aliquorum tanta virtus est tantumq; animi robur, præsertim in fide Christiana recte institutorum, vt pias commonefactiones de morte & vitæ exitu æquo & firmo animo admittant; tamen plerique bona spe potius alendi & confirmandi sunt: à Medicis dico, theologorum enim aliud est munus: siquidem spes sola interdum hominem seruat, & desperatio vltimum malorum esse consuevit. Ad exteriora deniq; & ad officium eorum quibus languentium custodia commissa est pertinet, vt medicos de voluntate & consuetudine ægrotorum admoneant, vt ne quid committatur imprudēter quo offendi vehementer pos-

ter possint. Multi odorem allii, vel moschi, vel ambræ non ferunt, vel vini etiam, præcipue in dolore capitis, vbi nec violarum odor omnibus conueniens est & tolerādus: in tali ergo casu, quæ ægroto tam aduersa sunt, ab iis medicus libenter abstinebit, sicut alias etiam viro graui maxime indecorum est muliebri mollitiei deditum esse, & peregrina illa moschum videlicet ac similia, meretricia quasi imitatione redolere.

Reprehendit ergo Galenus Quintum, quem alioqui maximi faciebat, quod cum vinum bibisset, ægro tamen curādo nimis rustice se ingessisset, qui vini odorem valde auersabatur, & vt paulo longius ab ipso Quintus recederet, rogabat.

Sunt præterea nonnulli ægroti, qui cupiunt crebrius medicum accedere, alii rarius: accessum itaque suum moderetur medicus secundum ægrotantis affectionem, & semper comitatem quandam (non dico leuitatem aut scurrilitatem) adiunctam grauitati habeat, ex qua intelligi queat salutem ægri maximæ sibi curæ esse: *Legatur 7. Aphoris. 4. part. 6. epidem. Et 16. Aphor. 8. part. 6. epidem: auditus meliores, &c.*

A D C A S V M tandem quod attinet siue FORTVNAM, non enim has voces nunc distinguo, monuimus antea, accidentalium causarum numerum nec scientia comprehendi nec demonstratione explicari posse, sed esse *ab eis* atque infinitum. Arte igitur casualia & fortuita comprehendi nequeunt, neque studio caueri, neque scientia aliqua prædici, quæ & qualia futura sint, & tamen adeo manifesta exempla accidūt, quorum consideratio neq; indigna medico neque negligenda est. Itaque in hoc caput siue genus coniiciemus omnia illa, quæ superioribus non fuerunt inclusa, neq; enim quicquam tam late patet, atq; hoc quod casu factum dicitur, & est casus eorum, quæ per accidens fiunt causa principalis: Cuius an vicissim sit aliqua per se causa & determinata, & qualis sit, nunc exquiri nihil opus est.

Contigit sane, vt homines subita morte extinguerentur, vel alioqui inopinato casu interueniente pro derelictis ac desperatis haberentur necessario, nulla manifesta vel præuisa causa, quales euentus ad casum fortuitum hoc quidem loco docendi gratia referre libuit, fuerunt enim profecto immedicabiles. Vt autem vulgus casum semper fere, & male, tâquam causam secundæ curationis plus prædicat quam artem: ita tamen aliquid agere interdum videtur, tam in curando quam tollendo homine, vt euidentis & naturalis causa alia reddi nequeat.

CASVM igitur eiusmodi, vel MANIFESTVM, vel OCCVLTVM esse constat.

Manifesti exemplum fuit Hadrianus IIII. Papa, cui musca in os inuolauit, eaque, quia medicorum arte eximi non potuit, præclusit illi spiritum, atque ita suffocatus obiit. Alii haustu aquæ, in qua musca submersa fuisset, enecatam tradunt. Anacreon quoque Poëta acino vix passæ extinctus legitur. Fabius Senator prætorius in lactis haustu vno pilo strangulatus est. Iuueni cuidam (autore Beniuenio) cum ex brachio sanguis mitteretur, & neruum scalpellum attigisset, statim secuta est neruorum distentio, quæ hominem ita crudeliter afflictauit, vt paucis etiam diebus laboranti illi vitam eripuerit. Hoc infortunium tametsi culpa fortassis quadam Chirurgi accidit, casu tamen factum recte dicitur, nam & peritissimo tale quid aliquando accidere non est impossibile. Et Hippocrates i. libr. de morbis quædam infortunia recitat, quæ medicis euenire queant, nisi sint cautissimi & prudentissimi. Auio-  
la consularis in rogo reuixit, & quoniam subueniri non poterat præualente flamma viuus crematus est: hic vero miserabilis admodum concursus fuit felicitis & infelicitis casus simul. Chilon Lacedæmonius victore filio Olympiæ expirauit gaudio. Sophocles etiam & Dionysius Sicilia tyrannus similiter obiere, vterq; accepto  
tragicæ



tragicæ victoriæ nuncio. Sic P. Rutilius morbo leui impeditus, nunciata fratris repulsa in consulatus pctione, ilico expirauit.

Pari modo casu quoq; aliqui conualescunt & præter spem omnium seruantur. Autor introductorii scribit capram suffusione laborantem visum recuperasse, cum casu in oculum impressisset stipitem acutissimum. In Germaniæ oppido quodam ad Neccarum sito accidisse audiui, vt podagricus quidam per angiportum à seruis in sella delatus obuium haberet vrsus incitato cursu iraq; frementem, elapsus scilicet ex vinculis & irritatum à persequentibus: ibi præ metu aufugientibus seruis, ipse quoq; podagricus consternatus vires subito ex terrore & desperatione sumsit, inq; pedes se coniecit, quibus antea vti nullo modo poterat, idque conualescentiæ suæ principium habuit. Iason Pheræus deploratus à medicis vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret vulnerato pectore medicinam inuenit ex hoste. Non immerito Martialis exclamat:

*O quantum est subitis casibus ingenium.*

Quod ergo hic vulnus fortuitum ad vitam præstitit, idem multo magis ictus fortuitus, aut terror, aut vulnus, vel tale quid aliud, si accedat ad morbum alium præstare poterit, ita illum scilicet augere, vt nunquam curetur, vel vitæ etiam finem adferat.

Occulti casus exemplum est, quod nullis euidentibus causis obiere, dum calciantur matutino, duo Cæsares, Prætor, & prætura perfunctus Dictatoris Cæsaris pater, hic Pisis exanimatus, ille Romæ. Et ibidem apud Plinium multa alia repentinæ mortis exempla reperire licet: item quod Claudius Cæsar boleto venenato sublatus esse scribitur. Huc referendum enim est, si forte clam venenum cibus vel vino misceatur, & homini offeratur medico penitus rei gestæ ignaro, aut si venenatum animal in cibos incidat, vel herba veneno infecta comedatur: *Hominum omnium*, inquit Gal. *impiissimi*

sunt, qui experiendi gratia aliis innoxiiis perniciofa medicamenta exhibent, & lib. 10. Simplic. recēset exemplum: Quidam mel vēditurus veneno illud infecerat, unde duorum medicorum, qui illud gustarant, neuter servatus est. Pulmones proprietate quadam vlcerat lepus marinus, vesicam & renes cantharides, lædunt non minus etiam buprestis, Salamandra, erucæ pini, &c. Talibus ergo occasionibus nō pauci præter omnem expectationem interiere nullis præcedentibus signis mortiferis, causa vero non nisi post obitum eorum patefacta. Quis igitur audeat huiusmodi mala curabilia dicere, quorum ne cognitio quidem fuit vita durante? Accidisse nouimus (idque ex Aloysio Bellacatto audiuius Patauino medico celeberrimo) vt qui in Symposio quodam fuissent conuiuæ, omnes conuulsione corriperebantur, quidam etiam morerentur. Postea inquisitione facta compertum est appositas in conuiuio coturnices captas fuisse in loco, vbi magna hellebori copia proueniret, vnde suspicio concepta fuit ex hellebori violentia id malum emanasse. Multi aliquando in eadem domo cum absq; causa euidenti interiissent, eaq; res medicos diu sollicitos habuisset, tandem dolio vini euacuato, ex quo biberant omnes, venenum repertum est. In quodam Germaniæ monasterio plerique diris cruciatibus mortui sunt, qui vinum quoddam simul in cōuiuio biberant, id lethali Pharmaco infectum fuisse à nemine fuit dubitatum. Fernelius hanc historiam recitat: *Non pauci inopinato è viuis horæ quadrante erepti sunt, in quibus dissectis non alia mortis causa comparuit, quam repentina vomica disruptio in pulmonibus, è qua pus in cordis arcem penetrauerat, ipsius vim extinguens atque obruens. Quumq; ex his duo medici essent per celebres, attamen nec febre, nec inappetentia, nec alio ullo symptomate impendentem sibi diem vitæ supremum præsenferunt. Beniuenius vero hanc: Exorta inter duos iuuenes lite, cum alter alterum extento brachio alapa percussisset, in apoplexiam resolutus*

*Solutus vapulans paucis etiam horis iugulatus interiit. Idem quoque hæc scribit: Puerum novimus, cui mane cælo adhuc sub obscuro prope iam præceptoris ades intranti præsto fuerint duo viri nigris vestib. obuoluti, quibus adeo perterritus est puer, ut toto corpore contremiscens, altaque voce auxilium clamitans, in admirabilem sane ægritudinem ac demum in mortem inciderit. Nam statò tempore, id est octavo quoque die & eadem ferme hora, in eundem semper horrorem atq; clamorem proruebat, donec tabe consumtus vitam, quæ nullis præsidis contineri potuit, miserabiliter finiuit. Neq; est dubium, exemplisq; verissimis, sed inamœnis comprobari potest, permultos alios spectris exterritos præ terrore & cōsternatione fuisse extinctos. Repeto igitur hoc loco Celsi dictum, quo supra quoq; sum usus. Spes interdum frustratur, & moritur aliquis de quo medicus securus primo fuit. Inde omnibus temporibus sapientes conquesti sunt de variis casibus, quibus homines subiecti sint, tam in fortunæ & felicitatis bonis, quam in vniuersa vita & sanitate etiam.*

HACTENVS eam sententiam defendi, veramq; esse comprobare volui, quæ nō omnes morbos sanari posse statuat. Id vero cum non vna ratione simpliciter accidat, distinxī morbos insanabiles in eos, qui per se & εἰδὲ tales essent, & eos qui καὶ συμβεβηκὸς id paterentur, vt auxilium adferri nullum possit. Sumque exemplis tanquam πῶν λόγων ὁμήροισι adeo perspicuis usus, vt sperem me lectori hac quidem parte mediocriter satisfecisse, vt autem in conspectu sit partitio nostra quam proposui, breuiter eam hic repetam

Morbos alios dixi esse **CVRABILES**, quorum quidem species methodo arteque sic tractari potest, vt omnem medendi rationem admittat, suntq; hoc modo plurimi morbi, ac plerique specie sua curabiles.

**INCVRABILES** duplices statui, alios *per se*, qui καὶ εἰδὲ tales, quorum etsi causæ potest reddere at-

que explicare Medicus, medicinæ tamen & actioni operique eius non subiiciuntur, nisi ratione *αεθρνώσεως* tantum, atque in his vniuersis auxilia humana & naturalia nihil possunt: alios vero incurabiles *per accidens*, quorum sane innumeræ possunt esse differentiæ, quibus certæ tamen morborum non constituentur species, cum accidens non sit differentia, quæ speciem aliquam constituat. Ad certa tamen ego genera seu capita reducere sum conatus, quorum non vno loco apud Hippocratem & Galenum mentionem fieri reperiēbam, nempe ad *Dei speciale propositum*, siue *decretum*, ad *fatum Physicum & ætatem*, ad *Medicum & Pharmacopolam*, ad *morbi conditionem*, ad *adstantes & exteriora*, denique ad *casum & fortuito incidentia*. Inter hos sunt alii *medii morbi* seu *dubii*, quorum euentus est adhuc incertus, Hippocrates i. lib. de morbis *αὐθιγὰς* appellat, qui etsi sunt natura ac specie sua curabiles, in incurabiles tamen, ob causarum propositarum videlicet vnā vel plures, degenerare possunt.

NUNC VERO ETIAM de totius quæstionis huius genere argumenta nōnulla alia adferemus, quibus sententia nostra munita firmiter possit consistere, nullo discrimine iam habito siue per se, siue per accidens curatio non succedat, cum hoc antea satis distinctum sit & declaratum.

Primum igitur autoritates summorum medicorū nemo opinor facile contemserit. Cum enim peritis in sua arte credendum esse præcipitur, nihil aliud præcipitur, quam experientiæ credendum esse, quam nisi illi vniuersalem, certā & rebus consentientem animaduertissent, nunquam theoremata vniuersalia artium post se reliquissent, & posteris tanquam vera magno consensu tradidissent, nūquam etiam pronunciaissent morbos non omnes curari posse. Adscribam itaque testimonia planissima & euidentissima.

*Hippocrates in i. libr. de morbis νοσήματα distinguuit in*  
*γενέσια-*

θανάσιμος, μὴ θανάσιμος & ἐνδίασά, quam distinctionem & in præcedentibus ipse secutus sum, & iam paulo ante breuiter repetiui. Eodem libro inquit: *Recte autem sunt hæc, morbos cognoscere qui sint, & a quibus, & qui ipsorum longi, & breues, & lethales, & non lethales, & qui transmutantur, & qui auferuntur, & qui minuuntur, & qui magni, quique parui: & dum curas, possibiles curare, impossibiles vero scire cur curati sint impossibiles.* Item: *Differt affectus ab affectu, corpus a corpore, curatio a curatione, unde necesse est alios perire, alios non, & morbos aliis durabiles esse & maiores, aliis minores & breuistemporis, aliis permanere usque ad senectutem & commori, alios perire ab ipsis breui.* Hippocrates 1. prognost. ὑγίαια μὴ ἐν ποίειν ἅπαντας τοὺς ἀδυνάτους, ἀδύνατον, sanitati restituere omnes agrotantes impossibile est. In libro etiam de Arte perspicue asseuerat hoc quoque ad artem pertinere, eorum qui à morbis victi sunt curationem non aggredi, cum in confesso sit, quod Medicina tales sanare non possit. Vnde igitur ἀνίαται νοσήματα appellationem inuenere? & ὀλέθρια, ἀέλπισα, θανατώδη, θανάσιμα, ἀνήκιστα, ἀθεράπευτα, ἀφυκτα, & quæ dicuntur θεραπείας μὴ τυχεῖν, quæque adferunt ἀπαράβατον κίνδυνον, nisi à veritate euentus? non enim quidem certe sunt nomina rerum ficticiarum, qualis chimæra est, vt latinas locutiones, quæ in omnium sunt ore præteream. Galenus 5. meth. scribit: ἕνια ἔχει ἀδύνατον ἴασιν. In libro de tabe: εἰσόμεθα πότερον ἀνιάτως ἔχουσιν οἱ μαραινόμενοι. Idem 10. meth. iuxta finem, (qui locus inspicitur) *minimus error in difficilimis morbis mortem adferre solet, si sit ex eo genere, aliter noxas adfert insanabiles.* Idem Gal. 6. Aph. 34. *Quis ignorat caluitium affectionem esse insanabilem?* Et 9. libr. de simpl. med. cap. de terra Samia in fine: ὃ καὶ δῆλον ὅτι μόνως τῆς ἀνιάτως ἔχοντος ἔκαστος ἀφέλησε. Lib. etiam 3. meth. 1. cap. *Primum est artis opus, vt intelligas, sperare ne id quo tendis debeas, an secus.* Et ibidem: *a quibus (experientia & rei natura) procedens, non solum quod sanari non potest, præuidebit, &c.* Octauius Horatianus dixit, inuisere medicū etiam sæpe in-

curabiles ægros, ut ipsis solatio magis sit, quam ut restituat sanitatem, hæc enim sunt eius verba: *Chronicos vero (id est phthificos) plena sub desperatione, non iam ut medicorum medelis, sed magis ut amicorum solatio visitamus.* Paulo Æginetæ pruritus senum est insanabilis. Celsus scriptum reliquit: *Est prudentis hominis eum qui servari non potest non attingere, ne speciem subeat eius occisi, quem sors ipsius peremerit.* Idem de suffusione loquens ait: *Vitii eius plures species sunt, quaedam sanabiles, quaedam quæ curationem non admittunt.* Idem libr. 7. *Idque in quibusdam nulla ope adiuvari potest, in quibusdam sanabile est, quod primum discrimen nosse oportet, ut alteri succurratur, alteri manus non iniiciatur.* Rhazes de paralyfi sic statuit: *Si euenerit ex percussione aut casu, & acciderit subito, taliter permanebit, & nunquam sanabitur.* Plura testimonia & exempla qui desiderat ex superioribus petat. Huc pertinent exempla etiam præstantissimorum artificum, qui morbos nonnullos nunquam potuerunt ab affectis corporibus depellere. Galenus de se ipso fatetur circa finem 4. lib. de loc. aff. aliquot homines pulmonibus vlceratis affectos, & Antipatrum ipsum medicum non potuisse à se sanari. Hippocrates in fine 6. epidem. scribit de duabus mulieribus, quibus suppressi menses fuissent: *Cum vero omnia, quæ ad eorum prouocationem necessaria essent faceremus, non profluxerunt, sed non multo post tempore viuentes, mortuæ sunt ambe.* Arabs Auenzoar, vir experientissimus, & grauis autor, in vincula coniectum se refert, quod morbum cuiusdam hominis non curasset, quam historiam integram recitabo, cum multa obseruatu dignissima contineat. Sic igitur scribit. *Generatur quædoque in stomacho verruca, sicut in aliis membris. Et ego quidem vidi hanc passionem, cum essem in carceribus de Hali, in vno de familia sua, & ipse non digerebat cibum, & febricitabat febre inordinata, quæ aliquando fortiter inualescebat, & interdum debilitabatur. Et habebat solutionem*

tionem non magnam, & illa egestiones erant varii coloris, & non bene cognoscere poteram causam sue agritudinis. Cum tetigissem pulsum eius inueni ipsum inordinatum & non magnum, cognoui ergo ex hoc, quod apostema erat in membro multorum nervorum, & specialiter, quia erat serotinus, & debilitas virtutis patientis obuiabat magnitudini ipsius pulsus. Quare ista manifestabant verrucam esse in ipso stomacho, & quia non erat multa velocitatis pulsus signum erat manifestum, quod non erat de genere calidorum apostematum. Et paulatim quidem eius caro diminuebatur quotidie, & cum posuissem manum meam super fundum stomachi, inueni duriciem ibidem ad quantitatem unius pomi absque sensu alicuius doloris, & cum fortiter compressissem manum tunc sensit modicum doloris, & quoties iterabam compressionem fortius dolebat. Cognoui ergo certissime, quod esset moriturus, quotidie tamen ipsum confortabam, faciendo ei ea, quae habent agritudinem mitigare, quamuis essem de eius curatione desperatus, eo quod virtus ipsius quotidie debilitabatur. Et quadam die cum assellasset, assellauit quiddam rotundum, quod habebat formam pomi cum radice una, & erat solidum, & quoties postea assellabat, egeribat sanguinem in magna quantitate, & sic perseuerauit pluribus diebus. Et cognoscebam certissime quod moriebatur, tamen verecundabar sibi dicere. Quadam autem recte vocauerunt me, & inueni eum quasi mortuum, & indignatus fuit contra me, credens quod ego, quia eram in carceribus domini sui, non curassem de eo diligenter, quamuis sibi purissime & fideliter seruiuissem, Deus nouit. Sed debilitas virtutis eius & prauitas, & fortitudo agritudinis, obuiauerunt curationi suae, cum omnia in manibus Dei existant. Et quamuis de domo mea & possessionibus meis me extraxisset, non fui culpabilis propter hoc, Deus nouit. Vnde dominus patientis precepit ut affligerer illa de causa, quare conuersus sum ad dominum, & dixi, fiat voluntas Dei. Et cum essem in introitu ianuae carceris, dixi illi qui ducebat me, qui erat de

maioribus ciuitatis, iste Dominus intendit me molestare absq; causa, Deus nouit, & iam sunt plures dies, quod proposueram ei dicere veritatem, scilicet quod non poterat euadere ab egritudine ista ullo modo, sed verecundabar contristare animam patientis. Nunc autem quia video quod intendit me pro nihilo aggranare, dico vobis quod non uiuat ultra 12. dies. Ira autem & perturbatio animi quam habebam, me in tantum coëgit quod dicta verba taliter dixi, quod infirmus me intellexit, & seriose illud feci, & sic positus fui in carcere. A septem autem diebus cecidit virtus eius manifestissime, ita quod misit pro uxore sua & filiis, & in nona die mortuus fuit. Et quod memoratus sum de hoc casu non fieri, nisi ut exemplum sit vobis in aliis: tamen si virtus eius fortis extitisset, non erat impossibilis cura eius, nisi forsan alias multas verrucas in stomacho habuisset. Hæc Auenzoar. Quisque etiam memoria repetat, quæ ipse viderit exempla, inspiciat obitus tot regum & principum morbis sublatorum, quibus raro præsidia humana & naturalia desunt, perlegat consilia & opera practica optimorum, tam hac quam superiore ætate medicorum, & reperiet experiētiam ipsam nobis clarissime adstipulari.

Neque præclaris. Reipubl. Venetæ exemplum leue ducendum est, in quo cum tot expertissimi medici uiuant, artemque felicissime exerceant, publico tamen sumtu extructum est domicilium pro iis, quorum valetudo deplorata est, & spes sanationis nulla reliqua: quod sua lingua appellant *Hospidal dell' incurabili*.

Deinde eadem videtur esse proportio atque analogia actionis ad res agendas, quæ est cognitionis ad cognoscendas, utque se habet intellectus speculatiuus ad cognoscendum, sic practicus se habere videtur ad agendum. Vnus enim & idem est intellectus, & vna est natura hominum, vitiata in omnibus potentiis interioribus. Sed intellectus *θεωρητικός* noster habet se ad res in natura etiam manifestissimas veluti oculus vespertilionis



spertilionis ad lucem meridianam, teste Aristotele. Ergo idem accidit quoque τῶν πρακτικῶν, ut scilicet aliquando cæcutiat, aberret, nec perpetuo finem vel scopum propositum assequatur, ac tanto quidem magis quam ille alter, quanto magis actio cognitionem sequitur. Quapropter imperfectum intellectum in speculando sequi necesse est imperfectionem quoque in praxi & in agendo. Utque non omnes morbi perfecte ac semper cognoscuntur, ita *non intellecti nulla est curatio morbi*: quanquam in cognitis etiam salus interdum desperatur, ob causas plures antea explicatas. De hoc etiam diximus supra in capite de medico.

Id igitur si ubiuis fieri contingit, non mirum est, si in curationibus idem accidat interdum, ut videlicet morbus aliquis inevitabile periculum adferat sua natura, aut si è medio infirmum non tollat, ad mortem tamen usque inhæreat, aut aliis quibuscunque causis sanitatem recuperari curando non permittat. nō enim necesse est omnem incurabilem esse *ἴαται φόβῳ*. Ratio hæc si cui minus firma videatur, is experientiam in subsidium aduocet, & fatebitur rem demonstratam.

Præterea verum est medicum sanare contingenter. Quare si contingit, ut aliquando non sanet, nullū absurdum aut impossibile committitur. Agit enim naturaliter, hoc est, adhibet remedia naturalia, & naturales actiones omnes sunt contingentes, quarum causæ impediri possunt, licet rarius hoc fiat, & natura ut plurimum suum finem consequatur. Quod si contingenter sanare medicum quis negare ausit, ille & totum artis medicæ corpus atque systema, omniaq; eius principia ac theoremata euertet, & præterea eidem necesse erit, ut necessario hoc facere medicum concedat: Si autem necessario, etiam semper, quod manifestissime repugnat experientiæ.

Hinc vero non sequitur (ex nostra scilicet quam defendimus sententia) medicum nō esse, aut artis finem

non assequi, qui semper morbos haud perfanet. Effectu quidem frustrari potest, effectus enim artis non etiam est finis artis, sed artificis, & præstare omnia quæ faciunt, ad consecutionem sanitatis, etiam si eam non assequatur. Hæc si præstiterit, officio satisfacisse existimandus est, sicuti in bello Imperator optime & præclarissime se gerere potest, tametsi victoriam non consequitur, & ipse etiam occumbit. Artificem siquidem perfectum cum Aristotele dicimus: *εάν μηδέν παραλείπῃ τῶν ἐνδεχομένων*. Iniustum vero & inhumanum est, postulare ut medicus omnium actionum suarum medicarum felicem euentum præstet semper. Ulterius: Ars imitatur naturam, & artifex minister naturæ est, de quo omnes sani homines omnibus temporibus consenserunt. At natura, ut non semper perficit & ad finem deducit opere sua reliqua, ita quosdam etiam morbos nunquam sanare visa est. Quare nec ars semper valetudinem integram restituere poterit, præsertim ubi ductu exemploque præeuntis naturæ, & causis naturalibus remediisque idoneis, & modo agendi possibili destituitur. Adeo verum igitur est, quasdam esse ægri- tudines immedicabiles, ut natura etiam ipsa à quibusdam excludatur, quas sanare non queat, ut vulnus cordis & fortem apoplexiam.

Huc accedit, quod ars medica magna ex parte coniecturis etiam vitur, ex quibus necessarius effectus nec ratiocinando concludi, nec agendo produci potest. Quemadmodum igitur natura aliquando sine frustratur suo, & monstra parit: ita medicus minister atque imitator naturæ quanquam secundum præcepta artis officio suo satisfacit, morbum tamen, vel sua natura, vel aliis de causis contumacem, ignotum, malignum, supra modum auctum, superare semper non potest.

Disputant autem nonnulli, artem aliquando naturam adiuuare, aliquando etiam superare, ex quo effici putant, si natura nequeat, artem tamen posse morbos  
omnes

omnes curare. Quod sæpe adiuuet certissimum est, impedita enim natura plurimum iuuari potest per artem, si auferantur impedimenta (Gal. 4. meth.) quod manifeste conspicitur in corporis plethora, cum exonerata natura per sectam venam longe facilius deinde quod superest expellit. Vtrum vero superet, dubitari potest. Nisi enim naturam & facultates naturales in materia obiecta præsuppositas vel præexistentes reperiatur, nunquam efficiet ars aliquid, non enim certe efficiet substantias, vt lignum nemo artificiosa sectione diuideret, nisi esset natura  $\tau\mu\eta\theta\upsilon$  aut  $\chi\alpha\sigma\delta\upsilon$ , requiruntur enim naturæ habilitates in patientibus. Naturam ars imitatur, non perfecte semper, sed quantum potest. Imitans autem quomodo superius defendemus eo, ad cuius præscriptum & normam se accommodat? Sic naturalis motus corporum animatorum longe est præstantior, quam artificialis in  $\alpha\upsilon\tau\omicron\mu\eta\tau\omicron\iota\varsigma$ , & HOMERVS Poëta excellentior, quia  $\phi\upsilon\sigma\epsilon\iota$  est, quam si tantum arte esset, quanquam Poëtam esse ad artem pertinet.

Exempla contraria quæ adferuntur de fractis aut luxatis membris, nihil probant. Natura quidem talia non reponit, ars reponit: at reposita membra ab artifice non sanantur propter repositionem, quæ est sine qua non causa tantum, sed propter naturam ipsam nutrientem, agglutinantem, consolidantem. Præterea ars, aiunt nonnulli, insculpit auro superiora naturæ viribus. Respondeo, auri formæ vel figuræ sunt accidentariæ, & substantiam auri natura fecit. Iam quis nescit in collatione horum vtri principatus superior ascribendus sit, substantiæ ne vel accidentibus, & quidem artificialibus? Aurum tamen seipsum figuris ornare non potest? Neque terra seipsam mouere potest. Tu igitur motum ipsi terræ substantiæ præferre ausis? Atqui sic se res habet. Deus quidem hominis ingenio ac voluntati, siue arti multa reliquit agenda, neq, artium opera contemnenda sunt, aut extenuanda, siquidem

Deus ipse monstravit fontes artium, easque rexit & pro-  
 uexit. Sed tamen in hac comparatione arti sunt suæ  
 metæ, & naturæ suæ. Efficit ars multa, quæ naturæ vi-  
 ribus effici nequeunt, sed facta comparatione in gene-  
 re eodem, quo ad dignitatem & finem, in quo genere  
 natura aliquid valeat, obtineri non poterit artis opera  
 præferenda esse naturæ operibus. Si itaque aurum non  
 figurat seipsum, nihil refert, cum non indigeat figuris  
 externis ullis ad sui perfectionem, quæ si respectu ho-  
 minum utentium præstantiores & commodiores ad  
 delectationem fiunt, quam figuræ rudes informis au-  
 ri, istamen finis est accidentarius, non à natura præ-  
 scriptus.

Sed fortassis per superiora viribus naturæ intel-  
 ligunt characteres quosdam insculptos certis tem-  
 porum atque constellationum momentis, quibus Chy-  
 mistæ nonnulli & Magi incredibiles tribuere vires so-  
 lent. Verum ista deliria tanquam superstitiosa ac im-  
 pia nos plane reiicimus. Sicut ergo Deus agentia di-  
 stinxit, ut aliud esset naturale, aliud voluntarium, ho-  
 rumque actiones pariter diuersas esse voluit, ita nihil  
 prohibet, quin in genere diuerso ars nonnulla efficiat,  
 quæ natura non possit. At de vno eodemque hic ge-  
 nere agimus, de curandis videlicet morbis, ubi firmum  
 manet hoc ὅτι φύσις τῶν νόσων ἰητροῖς, artemque cum arti-  
 fice medico esse naturæ ministrum, illoque multo in-  
 feriozem in hominibus à morborum calamitate libe-  
 randis.

Hoc etiam in cōfessio est, τὸ ἀεγγωσιθὲν siue ἀεθροσπηθὲν,  
 ut quidam nominant esse partem Medicinæ. Frustra  
 autem esset pars artis, si omnes morbi sunt sanabiles,  
 si quidem tum prognosticum vnum perpetuum erit,  
 seruatum iri ægrotum, siue enim longus, siue breuis sit  
 futurus morbus, tandem tamen curabitur. Atqui non  
 raro occurrunt talia, quæ cogant præfagium proferre  
 de morte & insanabilitate, cui euentus quoque respon-  
 det.

det. Nullus igitur esset vsus prognostici, si euentus esset non anceps atq; contingens.

Hippocrates vehementer extollit artis hanc partem, qua docte, prudenter & perite vtens medicus calumniã & dedecus effugere queat, si quando in insanabiles ægros incidat. Vult igitur prognosticis medicum bene instructum esse. Imo incurabiles per se affectiones arti medicæ subiiciuntur, nulla alia nisi solius prælagii ratione, quod videlicet eas cognoscit ac diiudicat fore immedicabiles: vnde Hippocrates monuit desperatos esse solis prognosticis relinquendos. Ergo ars incurabiles etiam complectitur, sed non, nisi quoad de ipsis pronunciat, esse remediis omnibus superiores.

Neque est valde hoc admirandum. Ars siquidem est vniuersalium, experientia & opus vsusque artis pertinet ad singularia, in quibus omnibus non potest idem euentus atque vniuersaliter similis esse, cum singula indiuidua aliquid dispar habeant, quod propriam indicationem præbeat, & communes ad sese contrahat specie quadam ac consideratione peculiari, vnde dispares & actiones institui, & effectus dissimiles cõsequi necesse est.

Tandem qui morbos occultos in substãtia tota ponunt, incurabiles etiam secundum artem, vt ponant, si non in vniuersum, attamen interdum, necessarium videtur, quia substantiæ nihil proprie est contrarium. Quare & Galenus 13. meth. 6. dixit: *Eorum, quæ totis substantiis inter se sint contraria, non esse methodum, sed omnia per experientiam solam inuenta fuisse. Itaque noni Thessalii per similia curationes suas fieri adfirmant. Nam si per contrarium eiusmodi morbi curantur, contrarium istud ignorari non poterit, cum in usum adhibeatur, & per consequens etiam morbi occulti non erunt: vno enim cognito contrario alterum non facile latere solet, præsertim si agendo & patiando inter se concurrerint.* Sed hic diuerticulum quærunt aliqui, dicentes à medicis minus an-

gaste accipi contraria, quam ab Aristotele, & ipsa quæ occultis viribus sanent, etiam contraria quodam modo morbis dici posse: stat tamen illud, quod Galenus affirmat methodum talium non esse, ac proinde si aliquando sanant, contingenter non minus quam aliàs, morbos ex usu eorum sanari, ac sæpe etiam fieri, ut nō sanent, de quo euentus quotidiani nobis adstipulātur, præsertim in peste curanda: Quot enim sunt alexipharmaca & bezoartica, quæ mirificis laudibus extolluntur, tanquam à tota substantia hominibus auxilium ferentia aduersus venenatam corruptionem istam, & tamen non ita sæpe (multo minus semper) affectos periculo liberantia?

EX HIS IGITUR, quæ hætenus disputauimus, satis euidenter perspicitur, quantum à veritate recedant & aberrant, qui nullum morbum incurabilem esse contendunt, ut iam impudentem admodum esse oporteat, & valde inscientem, qui temere omnium ægritudinum curationem cuiuscunque corporis omni tempore promittat. Pugnante ratione cum experientia huic potius adhærendum esse, quam illi sapientissimi olim statuerunt: experientia autem hic à nostra stat parte, neque vlla certe ratio valida in contrarium occurrit. Consistente itaque veritatis inquirendæ utroque instrumento, quid tenendum sit nemo facile dubitabit.

Conantur tamē nonnulli pro aduersa sententia rationibus quibusdam pugnare, quarum quantum sit pondus postea videbimus. Prius enim duorum doctissimorum virorum loca considerabimus, in quibus ipsi quoque videntur diuersam sequi à nostra opinionem.

AC PRIMVM quidem HIERONYMVS CARDANVS commentario in 1. prognost. Hippocratis, super hæc verba: CVM VERO HOMINES INTEREANT, ALII QUIDEM VI MORBI, &c. sic scripsit:

psit: Manifestum est quod intendit ( Hippocrates ) omnes  
 egros sanari posse, si tempestive medicus bonus aduocetur,  
 & nisi diuinum quid obstet. Item: Non obscurum est hic  
 velle Hippocratem omnes morbos ab initio posse curari: &  
 allegat postea Hipp. verba ex libr. de arte: Medicus si-  
 quidem suffecerit ad cognoscendum, sufficit quoque ad sa-  
 nandum, si vero is, in quo morbus cognoscitur, superetur,  
 ob id sane quod serius medicum accessit, aut ob morbi cele-  
 ritatem, peribit.

Istum locum Cardanus perperam interpretatus es-  
 se mihi videtur, ego enim Hippocratem per semet-  
 ipsum exponendum censeo, ne contrarius sibi tantus  
 princeps nostræ artis statuatur. Vt igitur alia dicta, quæ  
 supra allegavi, hic præteream, idem Hipp. eodem lib.  
 paulo ante hunc locum clarissimis verbis dixit: Sed fie-  
 ri non potest, ut omnes, qui agrotant sanitatem, consequan-  
 tur, ( ut hic locus ab aliis est conuersus. ) Quomodo i-  
 gitur tanta esset obliuione, ut quod hic affirmavit mox  
 paucis interiectis lineis negaret? Quod si quis opina-  
 bitur non negasse Hippocratem, quin ars media sana-  
 re possit ægros omnes, sed quasi indefinite dixisse fieri  
 non posse, ut omnes ægri sanitatem cōsequantur, cum  
 non omnes arte semper vti queant, aut medicorū co-  
 piam habere: huic repugnabit Græca lectio, quæ sic  
 habet: ὑγιείας ποιέειν ἀπαντας ἀδυνάτους ἀδύνατον, quia loqui-  
 tur de medici agentis, & remedia admouentis actioni-  
 bus, & postea addit: Id enim, id est, sanare omnes, vel sa-  
 nare semper, præstantius multo esset, quam futura prædi-  
 cere. ( cum autem impossibile sit omnes sanare, restat ( hæc  
 enim natiua est & germana sententia Hippocratis ) ali-  
 ud auxilium, quo Medicus honorem & famam tueatur  
 suam, præsciendo videlicet & predicendo futura. etenim  
 si moriturum ægrum prædixerit, nemo culpam non seruati  
 eius in ipsum postea reiciet. Hunc proposuit ibi tertium  
 vsum præcognitionis, ipso etiam Galeno locupletissi-  
 mo teste. Iam consideret eruditus lector, an non pri-

uato tantum arbitrio talis sententia Hippocrati attribuat, quæ cum scopo proposito descriptionis Prognostici ex diametro plane pugnet? Taceo quod Cardanus ipsemet, id quod diuinum dicitur, obstare curationi aliquando assentitur.

LOCVS ALTER, ex Arte Hipp. non ita procul à fine eius libri, citatus, nihilo magis contra nos facit, & Cardanus illius sensum non explicat, sed nude tantum verba sola recitat. *Medicus* (inquit Hipp.) *si suffecerit ad cognoscendum, sufficit etiam ad sanandum.* Præclare, prudenter ac recte hæc dicuntur. An vero cognosci morbos vniuersos à medico posse affirmavit? aut inde ne sequitur: ergo fieri potest, vt medicus omnes morbos & cognoscat, & sanet? nequaquam. Perpendatur enim genuinus eius loci sensus. Respondet Hippocrates vituperatoribus Medicinæ, qui ideo eam veluti nõ artem reprehendebant, quod omnibus æque morbis sanitatem non adferret. Concedit hoc Hippocrates, sed culpa, inquit, non omnis est in arte aut in medico. nam sæpe desunt instrumenta & remedia opportuna, aut satis valentia, vnde cum homo morbo afficitur, qui vehementior est, quam medicinæ instrumenta, ne sperare quidẽ oportet, vt à medicina exsuperetur, quare in tali casu vim & magnitudinem affectionis accusare oportet. Deinde distinguit etiam morbos, quorum alii sint manifesti, alii in obscuro positi ac latentes. Manifestos agnoscere ac curare non est res prorsus difficilima aut impossibilis, sed danda opera est, vt obscuri quoque cognoscantur ac superentur, quantum possibile est: (ecce limitationem.) possibile autem est, quantum ægrorum naturæ ad considerandum conferunt, & quantum eorum, qui perscrutaturi sunt, naturæ ad perscrutandum aptæ sunt. Ægri vero nõ æque omnes commode ac perite possunt causas, occasiones & dispositiones sensumq; sui mali medicis narrare, quare cum Medicus neque visu neque audiendo ad infallibilem



bilem certitudinem peruenire potest, aliò (id est, ad alia adiumenta & signa) ipsum respicere necesse est. Atque ibi demum hæc verba subiungit: *Medicus siquidem suffecerit ad cognoscendum, sufficiet etiam ad sanandum*: quæ verba simpliciter intelligenda sunt vt sonât, quasi dicam: *nunquam sufficiet ad sanandum, qui morbum abditum & internum prius recte non cognouit*. Quis enim illum sufficientem siue idoneum ad curandum existimet, qui morbi cognitionem nullam adhuc habeat, aut imperfectam vel incertam, cum prima curandi indicatio à natura morbi sumenda sit? Sufficere vero minime significat semper posse, nam diserte antea dixit: *quantum possibile est*, & paulo post impossibiles ac desperatos quosdam appellat.

Quid multis? *Si vero* (addit Hipp.) *is, in quo morbus cognoscitur, superetur, &c.* ibi aperte fatetur, quod superari homo à morbo possit, licet ille à medico iam sit cognitus. Vnde falsum est, quod simplicem illa inter se conuersionem habeant, morbum cognoscere & morbum curare, & immotæ adhuc stant, cumq; Hippocrate consentiunt nostræ causæ supra traditæ, propter quas fiat, vt morbi aliqui nunquam curentur, neque possibiles curatu etiam tamen interdum non sanentur, siue medicus serius vocetur, siue morbi sit nimia celeritas aut vehementia, siue aliæ causæ concurrant.

Quapropter nõ parua me tenet admiratio, cur placuerit Cardano hoc vti testimonio, quod ad cõfirmationem sententiæ suæ non pertinere facile potuit intelligere.

Cæterum illud idem ratione quoque demonstrari posse scribit, quod scilicet morbi ab initio omnes sint sanabiles, ne quis excidisse fortuito hanc asseuerationem ipsi suspicetur. Demonstrationem vero duplicem proponit, quarum P R I O R hæc est.

*Causa morbi sensim introducit morbum, sed ab initio si*

quis obstet validiore contrario illi causæ, non poterit illum conseruare, ergo æger euadet. Assumit hæc ratio aliquid tanquam vnicum, quod tamen multiplex est, initium enim morbi siue principium non vno modo accipitur, vt docuit Galenus 1. de crisib. & 1. Aph. 12. & circa principium primi lib. prorehet. quod ille hic non distinguit. Quod igitur causæ morbi sensim morbum introducat concedo, quia motus fit in tempore. Obstatum autem esse vult in initio motus, quod semper fieri non potest à medico, quare nõ semper æger euadet, & per consequens non consistit demonstratio. Medicus enim, quod dici solet, artifex est sensatus, & raro aut fortassis nunquam primum insultum morbi agnoscit ex signis manifestis, atque ibi certe non sufficiens est ad cognoscendum, quare nec ad curandum sufficiens erit: quod in morbis acutissimis, quantum momēti habeat, non est obscurum, vbi principii tempus ad quartum diem non potest extendi, multo minus eo tempore, quod principium dici meretur valentia contraria adhiberi vel opponi possunt. Imo quam multi subito exanimati sunt, ac mortui conciderunt? quale hic initium dabitur nobis, in quo causam repellamus & inhibeamus, ne morbum conseruet?

Præterea non leuiter miror, cur in demonstratione, quam vniuersaliter procedere oportebat, mentionem faciat contrarii, quo causæ tantum morbi medicus obsistere debeat, atque curationem (quam *καθόλου* possibilem conatur demonstrare) omnem ad causam referat, quod tamen nullo modo est vniuersale. nam multi sunt morbi, qui absq; causâ consistant, & propriâ eamq; potissimam indicationem de se præbeant, quorum nullam hic rationem haberi, plurimum vt dicebam mirari cogor.

Quid tandem illis respondebit, qui morbos occultos in tota substantia consistentes producent, qui ab initio non facile nec semper cognoscuntur, donec tandem

dem effectibus suis se prodant, ac proinde adhiberi ab initio iusta remedia siue causæ siue morbo non admodum datur? Manebunt igitur hac ratione & progredientur. Quid etiam illis, qui tota specie sua incurabiles morbos, aut a Deo immissas causas mortis morbificas opponent? Nam si ipse cælum (hoc enim per diuinium intelligit) excepit, multo magis Deus ipse nobis excipiendus erit.

ALTERA DEMONSTRATIO, vt appellat ipse, talis est. *Morbus ille etiam sine auxilio, quodam temporis spacio introducitur. Ergo si causa in dimidio temporis oppositum introducere possit, non augebitur morbus, Ergo non morietur ager.* Equidem vt verum fatear obscura mihi verba hæc videntur, & nisi per auxilium intelligam remedium oppositum morbo incipienti adhibitumque corpori ægrotanti, per causam vero in minore propositione medicum ipsum vel causam sanantem & contrariam morbo: sensum alium nullum eiicere possum. Et si a sententia verborum aberrauero, erudiri me lubens patiar. Hoc igitur autorem demonstrationis dicere voluisse arbitror? Etsi verisimile est morbum, cui sint opposita remedia vel auxilia contraria, tardius & longiore tempore introduci in corpus affectum: tamen etiam tunc cum nihil ei opponitur, nec quisquam impedimenti obiicitur illi, non nisi spacio quodam temporis introducitur & confirmatur. Cum enim causas habeat naturales, & perficiatur motu quodam physico, non potest in momento fieri. Ponamus ergo morbum aliquem introduci ac fieri sex diebus, si autem causa sanans vel medicus (nam de medici actionibus curatiuis nunc agitur, an semper initio morbum profligare queant) in dimidio temporis, hoc est in tri-duo, possit in corpus patiens oppositum morbi introducere, non augebitur morbus, & æger non morietur.

Primum libet quærere, cur in hoc negocio dubitative loqui voluerit, vel ὑποθετικῶς: si possit. Nam hoc eui-

dens est, si non possit, (vt semper nō potest) quod hoc ipso propositum Syllogismi euertatur.

Ne autem in viri celeberrimi dicta nimis minute inquiram, alia quædam, quæ adferre poteram, volens præteribo, & hoc vnicum tantum quæram, quomodo conclusio cum superioribus cohæreat? Non augebitur morbus, inquit, ergo æger non morietur. Nemōne moritur, nisi aucto & procedente morbo? an quæso in principio morbi extinctus est nemo? & Galenus causas huius sæpe non proposuit? aut nullæ ne subitæ mortes extitisse leguntur, vel hodie etiam animaduertuntur? Imo Hippocrates eo ipso loco, in cuius interpretatione Cardanus hæc disputat, ita dixit: alii intereunt vocato medico repente, alii intra primum diem. Verum intelligens Cardanus defectum opinionis defensæ, mox talia adiungit, quæ cum demonstrationibus suis aduersantur, tum summopere nostram sententiam confirmant. *Quia tamen sumus in arte (inquit) in qua experimentū est index (recte & candide facit, quod experientia manifestissimæ cedit) ideo soleo ego addere tres conditiones, 1. quod ætas non obstet minor annis quinque, & maior annis septuaginta. 2. ne morbo aliquo valido & cōtinuo detentus diu sit homo æger, seu communi, seu proprio. 3. ne quid insit diuinum, &c.* Has conditiones recipio, & plures alias non minus necessarias supra cōmemorauī. At si quædam sunt conditiones, quæ obstant, non constabit illud *καθόλου* omnes morbos in initio curari posse, si medicus bonus tempestiue aduocetur.

Nunc de alterius etiam sententia pauca quædam dicenda sunt. IOANNES FERNELIVS, vir præstantissimus, quemque honoris causa nomino, in principio quarti libri meth. medendi ita scripsit. *Quoniam omnis motus, & omnis effectio è contrariorum dissidio atque repugnantia proficiscitur, natura dum mundi hanc vniuersitatem assidue mutationi subiecit, simul eam neces-*  
sario

sario variis dissidiorum generibus quasi seminibus consper-  
sit. Atque ut quatuor rerum primordia ignem & aquam,  
terram & aërem contraria instituit: ita & unicuique, quod  
ex iis ortu processit, aliud quidpiam opposuit dissidii lege.  
Nullus igitur affectus subsistere potest in nobis, cui non pa-  
riter contrarium quiddam tanquam remedium illa protu-  
lerit. nullaque usquam est remediorum penuria, sed nostra  
eorum plerumque turpis ignoratio. Nullus toto genere im-  
medicabilis est affectus, sed idcirco duntaxat, aut quod  
supra modum auctus omnem praesidiorum vim aspernetur,  
aut quod imbecille iam vires curationis prolixitati suc-  
cumbunt.

Isto loco etsi ex professo hanc controuersiam, quam  
ego non nihil explicare sum aggressus, non tractat, satis  
tamen quid in vniuersum de ea sentiat indicasse vide-  
tur. Initio autem libri huius dixi per se immedicabi-  
lium morborum posse constitui differentiam quan-  
dam, ex eo, quod aut contrarium in natura nullum ha-  
beant quo depellantur atque tollantur, aut quod habe-  
ant quidem, sed latens adhuc & ignoratum. Vtrumque  
tamen in eundem tandem euentum desinit, ut, siue sit  
& ignoretur remedium, siue non sit, morbus propte-  
rea medicis, quoad sunt medici, incurabilis maneat.  
Non igitur assentior cum dicitur, nullum toto genere  
esse immedicabilem affectum, neque assentior cum di-  
citur, idcirco duntaxat non curari morbum, quod vel  
ipse vehemētior sit, vel vires imbecilliores. Nam quod  
ad posterius hoc attinet, plura esse, quæ per accidens  
morbum sanari prohibeant, clarissime ante monstra-  
se me confido. Prius vero paulo diligentius adhuc con-  
siderabimus. Nullus, inquit, toto genere immedicabilis  
est affectus, nullus enim affectus est, cui non pariter contra-  
rium quiddam tanquam remedium natura protulerit.  
Credo quod liceat nobis de hoc pronunciato dubita-  
re. Quomodo enim certum esse istud aliquis persuase-  
rit, cum naturam sic Deus condiderit, ut nullos allatu-

ra fuerit homini morbos, si ille è statu suo non excidisset? Morbifica igitur facta est, non primitus, vna cum contrariis salutiferis remediis, sed post irrogationem pœnæ demum, qua & homo mortis potestati actu est subiectus, & terra maledictioni, vna cum reliquis creaturis. Non enim sunt nulli, qui sentiunt, mundi partes singulas (cœlum, astra, elementa, plantas, animalia) quæ statim post creationem præditæ fuerant perfectissima natura, vtilitatibus, viribusque hominum commo- maxime conferentibus, postea factas esse partim in se- ipsis faucias ac languidas, partim etiam homini con- trarias, aduersas, venenatas, inque magnam virium rui- nam & disensionem à primæua bonitate decidisse. Vnde dixisse Apostolus videri potest, Rom. 8. *Creatu- ram subiectam esse vanitati, ingemiscentem tamen & par- turientem, in spe, vt liberetur à seruitute, &c.*

Quod si natura à primordio suo ratione morbifica- rum causarum caruit, siue per se, siue per accidens, pro- fecto etiam secundum Fernelium ratione causarum contrariarum caruit, quæ morbos curarent: nulla igitur natura protulit initio remedia. Et vnde tandem illa prolata fuere? Hic vero difficiles scrupuli iniicientur nobis. Si remedia ante lapsum condita fuerunt, num frustra facta fuissent homine non peccante, & morbis extantibus nullis? & cui contraria fuissent? Sin autem nulla fuerunt, quomodo dicere poterimus à natura dis- sidii lege opposita fuisse contrariis affectibus, qui & i- psi nulli tum erant? Neque enim huc confugere lice- bit, vt opinor, quod simul cum morbis (qui sunt pars pœnæ) etiam remedia facta & data fuerint: an maledi- ctio bona illa tanta attulisset? Cum aliis ergo potius sic sentiendum, primos parentes ante lapsum in statu in- nocentiæ, non fuisse quidem simpliciter, & ex condi- tione materiæ suæ impassibiles, qua ratione neq; im- mortale corpus habuerint, cum ex contrariis esset cõ- positum: Sed tamen munere Dei hoc habebant, vt  
partim

partim ratione sensibusque integris atque incorruptis possent euitare omnem contrariornm noxam, partim etiam diuina prouidentia & ordinatione tuti, immunesque essent ab omni tali ac tanto occurſu rerum, qui lædere eos posset. Fuit eis notum discrimen calidi & frigidi sensu, mollis & duri, humidi & sicci. Caro igitur eorum ab occurſu durialiter afficiebatur quam à molli, & si nerui lacerationem passi essent, dolorem percepissent vtrique, & sicuti aquam à terra absorberi animaduertissent, ita se ipsos quoque humectatos ficari à solis calore sensissent: quemadmodum etiam decessio quædam humidi *ἐμφύτη* in ipsis futura fuisset, per nutritionem & esum lignorum fructuumque Paradisi, & ligni vitæ, perfecte restauranda. Sed ad tale incommodum, quod fecum traheret molestiã vel læsionem actionum, vel destructionem & corruptionem corporis, non progressa esset natura sancta & sapientissima illa, ne quidem ex improviso. Maxime quoque *ἀκρίβειαν* habebant corpus, non quidem æqualitate contrariornm secundum pondus aut quantitatem, quod nullas alterationes persentisceret, sed secundum proportionem ac iustitiam, qua efficiebatur, vt quoduis contrariornm illam qualitatem & moderationem seruaret, quæ necessaria erat ad iustam *συμμετρίαν* & crasin totius corporis conseruandam. Namq; anima virtute sua ita continebat & gubernabat corpus, vt neq; morbis, neque morti subiectum esset, quamdiu homo non peccaret: ex gratiæ tamen diuinæ dono, & non ex naturæ, seu materiæ proprietate.

At post lapsum, homo præter cæteras pœnas etiam incidit in eam calamitatem, vt pugnantium qualitatum acerbitati subiiceretur, & potentiam acciperet dura patiendi ab illis, recedente videlicet ab eo præsidio & benedictione Dei, qua tutus antea ab omni malo degebat. Cumq; ipse antea dominaretur terræ & elementis, postea hæc domini sui aculeos quosdam conuerte-

runt in ipsum destruendo, quod prius non poterant. Tum quidem, ut consentaneum est, res creatæ non aliæ factæ sunt quam prius essent, nec novas accipere vires, sed alium hominem acceperunt, qui iam passionibus multis expositus foret, à quibus immunis & tutissimus antea fuisset. Receptus autem à Deo, & non penitus abiectus, inuenit postea subsidia quædam (si recte usurparentur) in natura conditarum rerum, & in contrariis, non simpliciter ob id factis, ut essent remedia, quibus primum non indigebat homo: sed cum sapientia & bonitas Dei infinita sit, plures respectus, vires, *δυνάμεις*, habilitates, creatis rebus indiderat, ad plurimos fines, atque usus idoneas. Lignum creauit Deus, è quo nunc fractis cruribus splenia conficiuntur, & fulcra claudicantibus. eum usum primo non habuisset, cum fractura vel claudicatio in Adamum non cecidisset, nunc tamen habet. Nec tamen frustra conditum erat lignum, tametsi ad hunc usum in morbis non adhiberetur, sed ad multa alia non minus utile fuisset: siquidem multæ etiam rerum vires sunt ignotæ nobis, nec contra morbos seruiunt nobis, seruiunt tamen gloriæ Dei, & bestiis aliis profunt. In his inuestigandis occupata esse hominum industria debet, vnde fit, ut in nobis ars principium sit multorum effectuum. Ita tandem inuentæ sunt rationes construendi tecti, texendæ vestis, & obseruationes remediorum quædam, quæ deniq; vsq; ad formam artis excreuere. Linum quidem primo propter telam non creatum est, postea tamen ad eam efficiendam adhibitum. Ita rosa non proderat initio aduersus calorem, nullo enim calore contra naturam affectus fuisset homo, sed postea cum calor vrere incepisset & lædere, mitigationem quandam afferre illam posse usu deprehensum fuit. Repertum etiam fuit, hoc melius illo sapere ac nutrire.

Quamobrem apud Syracidem præclare scriptum est, *altissimum condidisse remedia*, hoc est, res siue substantias,



stantias, & *δωράματα* rerum, ex quibus postea cœperunt peti remedia: *non ut tunc statim remedia essent*, quia cōtrarius morbus erat nullus. Et Deus recte ac pie autor medicinæ dicitur, quia omne bonum à Deo. Potuisset enim impedire, ne quicquam boni ex creaturis ad peccatorem hominem rediret. Verum misericors creator non solum reliquit materiam & siluam remediorum vberriam, quæ ipso permittente utilitates varias hominibus adferre posset: sed etiam ipsorum intellectum illustravit in inuentione ac delectu eorundem, & adiuuit, excitando artifices præstantissimos, quos præterea eximio dono sanationum ornauit, vt iam magno cum fructu & ægritudinum leuamine dulci medicamento-  
sis rebus vtamur. Fuerunt igitur eadem res, quæ nunc sunt remedia, etiam ante lapsum primorum parentum, quanquam actu nihil sanarent, cum sanandum in homine nihil dum esset, morbi enim non erant.

Quod si quis contendat, vt remedia *ὕδατα* erant, ita etiam morbifica fuisse, non actu sed potentia: discrimen tamen hoc nō inficiabitur, subiecta remediorū & qualitates ipsas tū quoq; actu agentes suauiter afficere, fouere, conseruare, nutrire corpus potuisse; morbifica vero nullo actu vel respectu sanitatem lædere & expellere potuisse, ob causam ante propositam. Tametsi igitur concedimus, per se consideratâ ratione omni morbificarum causarum non prorsus caruisse naturam rerum, *δωράματα* saltem, cum subiectum hominis corpus in quod agerent, ita Dei prouidentia dispositum ac præmunitum fuisset, vt vsq; ad morbosam *ἀλγέθειν* lædi non posset: & remediorum quoq; materiam tum præfuisse: non tamen inde confici aut demonstrari poterit, æque omnibus & vniuersaliter primitus opposita fuisse contraria. Vita siquidem erat, mors non erat, sed accessit deinceps, quanquam mors non contraria, sed priuatio vitæ est. Nunc postquam mors intrauit in mundum, quid ei oppositum naturaliter esse dicamus,

quo abigi queat? Ita sanitas erat, morbus non erat, neesse poterat, nisi aliter affecto homine per peccatum. Materia enim hominis conditi non statim ad corruptionem tendebat necessario, sed post incidit in illam *δυσίαμιν* corruptionis, nunc ineuitabilem immedicabilemque.

Quanquam igitur Deus reliquit *ἑλκτικήα* multa (quæ tamen abolere maledictione sua potuisset) contra immanitatem morborum post lapsum, quibus solentur se ac non nihil sustentent miseri homines in pœnis hærentes: tamen nequaquam illa vniuersalibus pœnis exæquantur, quas in mortem desinere tandem necesse est, neque natura vel ars hominum potest ex pœna facere non pœnam, nisi Deo volente & placato. Homo Deum offendendo infinitum bonum offendit, & pœnam infinitam commeruit, mortē videlicet æternam. Huic malo remedium attulit inenarrabili consilio Dei filius, dum sua morte à piis æternam mortem abstulit. Hic est mali & contrarii remedii facta exæquatio, in morte autem & pœna temporaria nulla talis medela proposita, sed ærumnis in hac vita nos exerceri oportet, vt peccatum nostrum & Dei immensum beneficium cruce docti melius agnoscamus, tantoq; ardentius ad perpetuam liberationem respiciamus, quanto maius precium pro debito nostro persoluendum fuit. Præterea in capite de Deo supra ostendi, verbum diuinum diserte mentionem facere morborum insanabilium quorundam, & Deum non raro extra ac supra leges ordinemq; naturæ, terris plagas, interq; has etiam morborum genera quædam, immittere, ad quæ antidotum nullum in natura dissidii lege conditum esse constat, veluti natura in amplissimo ambitu suo nihil habebat, quo sanaret morsus anguuium in deserto ignitorum. Verum autem remedium 16. cap. lib. Sapientia exprimitur: *Neque herba, neq; malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo qui sanat omnia, tu es Domine, qui*  
vita

vita ac mortis habes potestatem, &c. Et Psalm. 107. *Misit verbum suum, & sanavit eos.*

Atque in primis ad rem præsentem facit, quod huius generis morbos, & remedia illorum quoque, ipsemet Fernelius 2. lib. 16. cap. de abd. rerum causis *trans naturam* esse asserit. Itaque, vt aiebam, iis assentiri non possum, qui statuunt præcise ad singula morborum incommoda singula etiam remedia contraria in natura esse dispersa vel ordinata. Sunt hæc quidẽ non ex Philosophicis, sed altioribus, principiis allata, quibus tamen vti me non pudet, neq; pudere debet.

Sed de naturalibus rebus quoniam agimus, ex naturæ quoque ac rationis nostræ principiis exempla adiungamus.

Loquitur Fernelius de natura qualis nunc est. An igitur natura produxit cõtrarium remedium ad *μάραν-  
σην* calidi humidique natiui? quæ est *πάθος ἐξ ἀνάγκης ἐπό-  
ρμον*, ac proinde quodam modo *κτ φουσην*, vnde nunc in morte, homo omnium creaturarum ope, & contrario-  
rum auxilio, penitus destituitur. An aduersus corruptionem rerum ex materia Physica constantium præsidium vllum extat? cuius corruptionis necessitatem absolutam nunc esse ipsi quoq; Physici demonstrant. Cõtrariam quidem habet generationem, nulla tamen generatione indiuidui corrumpendi interitus prohiberi potest.

Præterea Fernelius vnus ex primis inter recentiores fuit, qui morborum totius substantiæ mentionem memoriamque celebrem fecerunt. Hos vero non ex elementorũ primordiis deduxit, quare circa ipsos contrarietatem talem, de quali hic loquitur nullo modo probare poterit, cum ex elementis horum ve qualitatibus primis ortu non processerint. Vt igitur mea fert opinio, si suis ipse principiis inhærere volet, non recte concludendo hæc verba mox apposuit: *Nullus igitur affectus subsistere potest in nobis, cui non pariter contra-*

rium quiddam tanquam remedium natura protulerit. Ut enim breuiter repetam, talis fuit eius argumentatio: *Natura elementa ipsa & ex elementis orta vniversa ita produxit, vt nihil sit sine contrario, ergo omnibus etiam morbis contraria remedia produxit.* Hic necessario restringuntur omnes morbi ad eos tantum, qui ex elementis oriuntur. at ipsemet alibi nonnullos excepit, quos negat ex elementari esse origine, ad quos etiam hanc rationem accommodare nequit, ex quo cōsequitur, non recte inferri simpliciter omnes affectus contrarium & salubre in natura remedium conditum habere.

Vereor etiam non nihil, ne remedii contrarii appellatio nobis hic imponat. Morborum rationē sic comparatam esse nouimus, vt non singuli vnico tantum remedio opposito statim recedant, sicuti caliditas recedit ex aqua, quando congelat frigore: sed simplicibus simplicia, compositis composita debentur, vbi permagna etiam affecti corporis partiumq; eius est habenda ratio, ne dum auxilium adferre contendimus, magis etiam lædatur, vel alio loco morbum nouum contrahat. Quamobrem multa arte miscemus nos etiam, vt contraria propria efficiamus, sicuti ceram, oleum, æruginem, quorum neutrum solum vlceri cauo conducit, coniunctim vero profunt.

Remedia eatenus contraria sunt morbis, quatenus contrarias dispositiones efficiunt, proprie vero morborū speciei ac *ἀσθένει* sanitatum species ac *ἰσχυρί* cōtrariantur, non tamen ita, quod actu & arte & re ipsa possibilis semper sit permutatio morbi in sanitatem, sed quod interdum cogitando saltem cōtrarium morbi intelligere animoque comprehendere possumus. Quoties vero dicitur cuicumque affectui productum esse remedium à natura, permulti sunt, non ex vulgo tantum, sed ex medicis quoq;, qui statim cogitatione fingunt sibi certa quædam definita ac specifica virtute agentia remedia, quorum contractu solo duntaxat siue  
interno

interno, siue externo, mox profligentur morbi subiectoque cedant, tanquam hoste potentiore pulsi, ad cuius conspectum persistere nequeant, quæ propria est natura contrariorum. Talia vero aut nulla, aut perpauca esse nihil dubito, quoniam si essent, non magno opere artis medicæ tanta exquisitione opus foret.

Quare morbo imprimis contraria est sanitas, contraria etiam sunt remedia, quatenus qualitatibus & naturæ eius repugnant, ut feбри contrariatur cichorium, quia refrigerat eius feruorem. Sed posita ac habita tali contrarietate, non propterea sequi sanationem necesse est. Si itaq; ad genus tale contrarietatis respiciamus, concedi potest omnium fere morborum esse contraria, calidis enim opponuntur aquea vel terrea, frigidis ignea, vel aërea, vulneratis consolidantia, fractis cōglutinantia, numero excedenti excessum auferentia, distortis rectificantia, obstructioni aperientia, induratis emollientia, quod de cæteris omnibus etiam intelligatur simili modo.

Eodem intellectu si Fernelius accipi voluit nullum affectum toto genere immedicabilem esse, non admodum repugnabo, cum eiusmodi contrarietatem nosse ad medicationis perfectionem nequaquam sufficiat. At si ad speciem vel indiuidua descendamus, immensum discrimen reperiemus. Vulneribus contraria sunt ea, quæ *συνέχου* dissolutam vniant, ex quibus alia huic, alia illi parti conueniunt. Num propterea quodcunq; vulnus medicabile arbitrabimur? equidem cum Poëta sentio nulla sanari vulnera cordis ope. atque hic defectus propriæ contrarietatis euidentissime perspicitur potest, taleque vulnus *εἰδὲ* esse incurabile omnium ætatum experientia comprobauit.

Præterea qualitas illa siue *δυσίαν* (accidentaria vel substantialis) contraria, & idonea profligando morbo, aut ignota est nobis, quod sæpe accidit, nec enim necesse est, si quis vnum contrarium nouit, etiam alterum,

vt norit (vt taceam qualitatem morbi etiam sæpe igno-  
rari) manebit igitur morbus incurabilis arte medica:  
*Ant nota est quidem, sed actu comparari vel adhiberi*  
nequit arte & industria humana, sicut iam de vulnere  
cordis diximus. quis enim tam subitam consolidatio-  
nem efficiat, quanta est opus? & sic iterum manebit  
morbus incurabilis. Vnde arbitror multo rectius 1. lib.  
cap. 1. eiusdem suæ methodi hæc pronunciaſſe ipſum:  
*Non ſemper medicus agrotum ſanitati reſtituit, ſatis eſt. ſi*  
*appoſite curet ad ſanandum.* Quod igitur porro ſcribit,  
nullam vſquam eſſe remediorum penuriam, in vniuer-  
ſum, & ita ſimpliciter non accipio, quod ex ſuperiori-  
bus facile intelligitur. Illud vero lubens admitto ma-  
gnam eſſe in nobis remediorum plurimorum ignora-  
tionem, magna enim opera Domini, & beneficentiæ  
eius plena eſt terra. Auidumque vitæ ac ſalutis genus  
humanum, & mortem cruciatusque morborum ex-  
horreſcens, varia tentauit, quæſiuit, excogitauit, Deo  
duce multa inuenit vtiliſſima; voluit enim Deus ne  
mens noſtra otioſa eſſet, ſed vt meditando extunderet  
artes, ſecundum Poëtam. Vt enim æternas pœnas mi-  
tigauit, imo abſtulit, homini, oſtenſo remedio per fi-  
lium; ita multo magis dedit quod minus erat, nempe  
remedia quædam corporis malis, ſicut pelles dedit ad  
veſtiendum. Sine dubio autem multa adhuc nondum  
eruta in naturæ theſauris latent, non tamen propterea  
omnia natura habet, quibus ad mala depellenda indi-  
get hæc ærumnoſa vita noſtra, ſed multa etiam imme-  
diate à ſe peti atque expectari vult Deus. Creber eſt  
rumor inter homines ſubinde oriri noua quædam ge-  
nera morborum. Hoc ergo ſi verum eſt, oriri etiam ſe-  
cundum hanc ſententiam neceſſe fuerit noua reme-  
diorum genera, ſiquidem natura nihil abſque deter-  
minatis contrariis auxiliis relinquere ſolet, non ita, vt  
cognoſcantur ſolum, ſed vt fiant, & tum primum exi-  
ſtant, aq; natura quaſi creentur. Nam ſi cognoſcantur  
tantum

tantum remedia, aut fuerunt antea sine cōtrario, quod est contra hypothesin horum, aut morbi etiam noui non fient, sed cognoscentur tantum.

Verum quibus rationibus noua remedia à natura produci defendemus? num ita, vt substantiæ vel subiecta eorum noua; species oriantur? an vt probat nouas vires, quibus antea multis seculis carebant, acquirant? quorum vtrumq; absurdum est. Quid multis, lignum vitæ scimus in Paradiso fuisse, vnde post peccatum expulsi sumus, Paradiso ipso etiam dissipato, idque lignum vel aliud eius simile, non vbique iam natura profert. Cæterum ad hanc rem pertinentia plura, quæ hic repetenda non sunt, ex superioribus colligi poterunt.

CONSTITVTIS itaque his ad hunc modum, non difficile erit ad aliorum quorundam minus doctorum argumenta respondere. *Contraria sunt, inquit nonnulli, sanitas & morbus atq; exæquantur. Ergo si quæuis sanitas morbo permutari potest, necessarium videtur, vt quæuis etiam morbus sanitate permutari queat & sanabilis existat.* Non concedo exæquari morbum ac sanitatem primo. Sanitas fuit homini data, vt naturale & essentialè bonum, quod initio contrarium malum habuit nullum. id bonum iam amisit, morbus vero per accidens posterius accessit tanquam pœna: quia igitur pœnæ in hac vita nunquam ex toto auferuntur, nec morbus etiam omnis simpliciter auferri aëu & reapse poterit. Præterea constat corruptionem inhærere naturalibus corporibus ἐξ ἀνάγκης ἀπολλῶς, cuius corruptionis modus quidam sunt morbi. Subiectum etiam corpus sæpe capax quidem est habitus sanitatis, sed non semper in potestate nostra aut artis sunt causæ, quæ illum corpori restituere queant, quod ex Hippocrate quoque antea probaui. Vt taceam non esse αἰδωάτον corpus capacitatem & facultatem sanitatis prorsus aliquândo amittere, ne sit amplius δυναμικὸν ὑγιένον, vnde fit ne formam sanita-

tis recuperare vnquam possit, cum non sit amplius ens in potentia. Nec vero natura est principiū (multo minus ars) eius motus, qui introducat formam in subiectum, cuius nulla sit amplius potentia ad eam formam. At quando fiet in hac vita, vt corpus nostrum expers sit eius *δυνάμεις*, qua dicitur esse, vel esse posse *ποστέγγει*? nunquam scilicet. Quomodo ergo par vbiq; est ratio corporis nostri ad sanitatem & ad morbum?

Leuius est, quod alii obiiciunt, morbum omnem, quia sit accidens, posse à corpore humano separari, id est, curari atque abigi, cum accidentis proprium sit adesse vel abesse posse præter subiecti corruptionem. Primum non idem sunt separatio & curatio. Deinde ablatio istiusmodi accidentium duplex est. fit enim vel re ipsa, vt cum caliditas ab aqua aufertur, vel *ἐπινοία* duntaxat, quo modo morbum quemlibet abesse posse cōceditur, cum non sit aliquid ad *ἐστίαν* subiecti constituendam pertinens. Et præterea dictum istud potius accidentia, quæ secundum naturam sunt, respicit. Priore autem modo quosdam solum, non autem vniuersos auferri ac tolli posse morbos hætenus defendimus.

TANDEM VERO de Bombasti eiusq; sectatorum opinione aliqua etiã in medium afferamus, quam nostro tempore tot friuolis infelicissimisque chartis in mundum sparserunt, quos indoctis & rudi plebeculæ tantum obtruserunt, vbi facile vincere potest, cuiunque fuerit lingua maxime fluida ac populo grata, vt Hippocrates noster in lib. de nat. hum. scribit. Veras enim rerum causas cum nec intelligât, nec modum intelligendi didicerint, hanc vnã hypothesin, tanquam fundamentum reprehensæ innouatæq; veteris Medicinæ, ponunt ceu immotam & certissimam: *Theoremata Hippocratica ac Galenica non respondere, nec satisfacere curationibus morborum, qui per se ac sua natura omnes sint curabiles.* Hippocrates ipse memoriæ prodidit hanc olim suo quoq; tempore auditam esse calumniam &



niam & reprehensionem artis: *Operteat* (inquirebant nonnulli) *siquidem Medicina ars erat, omnib. aequae morbis sanitatem afferre.* Quæ his calumniatoribus respondeat Hippocrates, requiratur ex eodẽ libro, nihil enim opus est singula huc verba adscribi. Contra istos vero nos opponimus talem hypothesein: *Nullum unquam morbum, qui curatus sit arte humana, aliter curatum esse, quam iuxta veteris & veræ medicinae (Hippocraticæ scilicet & Galenicæ, sicuti ipsis loqui libet, quanquam hi viri, neq; autores, neq; inventores Medicinae fuerunt, & ars medica potest ipsum quoq; Galenum errantem redarguere) fundamenta methodumq;, ubi aliqua causarum a me antea explicatarum non obstitit.* Obiicient hic statim, nonne curavimus nos quam plurimos à nobis pro desperatis relictos? quibus respondeo, nescire me illud, neq; hæctenus certo rem ita se habere comperisse. præter priuatas enim prædicationes, atque laudes & domestica testimonia in conuenticulis clandestinis ad libitum cõficta leuissime, aliud fide dignum nihil auditu percepi.

Verum sit ita, atq; vtinam opus verbis responderet, omnibusque languentibus opem illi certam afferrent: tum respondebo cum Hippocrate in hunc modum: videtur mihi fieri potuisse, vt qui medicis veris non vsi sint, in medicinam tamen inciderint. Nam vtcunque pernegent, quamplurimis vtuntur illi ipsi nouatores, quæ non aliunde, quam ex nostra habent Medicina, cum remediorum generibus, tum vtendi præceptis. Quot vero etiam homines diris modis iugulauerint, de quo publicis quorundam scriptis sunt accusati, id altissimo silentio obruunt, & interim de quintis, atque arcanis essentiis immuni precio auri extractis nugantur, vt imperitis fucum faciant, ipsorum inuentum esse artem destillatoriam, antea nec sic cognitam, nec recte vsurpatam, talemque quæ nouum plane Medicinae genus parturire debeat, cuius tamen non est nisi instrumentum quoddam.

Institutum autem nostrum non est de tota Medicina hic agere, sed de vno illo problemate, *sint ne omnes morbi curatu possibile*, quod isti affirmantes verissimum esse vociferantur, adeo, vt à Christo etiã curatos, vniuersos sanabiles fuisse scribere non erubuerint. Interq; cætera somnia vnum hoc (cur enim quis omnia recenset?) tanquam summum atque diuinum quid deprecant, quod lapidem Philosophorum appellant (ego LAPIDEM siue SAXVM SISYPHI appellare soleo) qui omnibus corporis malis depellendis sufficiat. Ista placent fatuis, iucunda auditu sunt ociosis, & pulcra videntur stultis mortalibus, cum reuera aliud nihil sint quam Fortunati illius crumena pileusq; quẽ falsus quidam & ingeniosus finxit *ὁ δὲ αἰμώνα* quendam fuisse, beneficioq; Fortunæ accepisse marsupium, ex quo quoties veller manu immissa certam auri summam extraheret, donatum insuper fuisse pileolo, quem si capiti imposuisset subito ex adstantium oculis eriperetur, inque loca, quæ nominasset, vel maxime distantia transferretur: Quo figmento pulcre depictæ sunt vsitatissimæ hominum cupiditates, amor auri scilicet absque labore, & vanæ laudis ambitio. Neq; recens hæc fabulæ natæ sunt. Olim etiam similibus spebus homines à magis dementatos fuisse constat. sic enim Plinius scriptum reliquit lib. 25. cap. 4. *Maxima autoritas herba est, quam dodecatheon vocant, in aqua potam omnibus morbis inferri tradunt.* ibidem: *Panaces ipso nomine omnium morborũ remedia promittit.* De Centaurea quoque & verbenaca simile quid iudicat. De hyenæ corde cap. 8. docuisse magos refert: *istud in cibo potu ve sumtum omnibus doloribus corporum auxiliari.* Libro 20. cap. 21. hæc habet: *De eisdem (maluis) mira alia traduntur, sed maxime si quotidie quis succi ex qualibet earum sorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum.* lib. 21. cap. 15. de vrtica: *Multis etiam religioso in cibo est adpellendos totius anni morbos.* Eiusdem superstitionis vanissimæ

vanissimæ exemplum in theologicas historias quoq; irrepsit. nam in vrbe Cæsarea Philippi scribitur enata fuisse herba quædam, ad basim statuæ, quam Christo ibidem posuerat mulier *αιμορροσσοι* (Matth. 9.) ab eodem liberata. Ea igitur herba, in portionem bibendam iniecta, omnis generis morbos sanare potuisse olim perhibebatur, referente id ecclesiastico quodam scriptore. Quod igitur de his herbis fecerunt, idem fecisse magos non est dubium de plurimis aliis, ex quo multæ (non de omnibus dico) vires maximæque rebus nascentibus gemmis ac metallis attributæ fuerunt mera superstitione, ad quam res à Deo creatas veluti velamen impietatis adhibebant: vnde hodie multarum virium inanitatem experientia manifeste redarguit.

Eiusdem igitur absurditatis imo impietatis propugnatores se etiã Bombastus præbuit, qui alicubi scripsit: *Vivere usque ad mundi renouationem non esse contra naturam, sed solum ultra contraque nostrum intellectum*: huic ergo comminatio illa diuinæ vocis irrita visa est, cum dixit ad hominem: *Morieris, & in terram, unde sumtus es, reuerteris.*

Meminit Galenus, in libro de tabe, cuiusdam Philosophi, qui cum esset quadraginta annorum ætate, librum edidit *ἔργον ἕως ἀμεγέθυ τινὰ ἀγρυπνῆν τὸ πείπειν*, quomodo liceat aliquem in senescibilem omnino permanere: vixit autem usque ad octogesimum annum, adeo gracilis effectus atq; siccus, ut nasus ei acutus esset, oculi concaui, tempora collapsa, aures frigide & contractæ, imisque partibus inuersæ, cutis circa frontem dura, intenta & arida, qualem faciem pleriq; Hippocraticam nominant. Cumq; passim ob id derideretur, quod, quæ alios docere instituisset, in seipso ne minima ex parte quidem præstitisset, alium librum edidit *ἔργον τῆς ἰουδαίας ἀμεγείας*, in quo ostendit non quemuis hominem senectam euadere posse, sed requiri ad id certam atque idoneam naturam, in primisq; fundamenta primæ nutritionis optima: quod si sibi infantuli apta natura præditæ

*educandi committerentur, immortalia se ipsorum corpora effecturum pollicitus est.* Quid quæso est fatuitas, si non hæc extrema est? vti etiam tunc temporis *ἐχάτιω μωρία* hominis huius cæteri agnouerunt, promissumq; hoc Galenus deridens *ἀνεξέλεγκτον* vocat, priusquam enim infantuli illi adoleuissent, ipse iam extinctus fuisset.

Nonne autem similis euētus in Bombasto animaduersus est, qui cum aliis longissimam ac pene immortalē vitam pollicitus ex arte sua fuisset, ipse quinquagesimum annum vitæ attingere non potuit.

Valde autem mirandum est & dignum consideratione, quod diabolus subinde eadem monstra aliis vestita coloribus in theatrum reducit, quod tametsi multis exemplis declarari potest, nos tamen à proposito non digrediemur. Omnia nouorum Thessaliorum iactabunda promissa quid aliud spirant sonantque, quam verba illa antiqui serpentis: *Eritis sicut Deus, scientes bonum ac malum.* Nihil dubito, in ludibrium Dei ac hominum à Satana figmentum istud vniuersalis medicinæ excogitatum fuisse: illi enim voci diuinæ: *Morte morieris:* opponit Satan has voces: *Nequaquam morte moriemini, fabricate lapidem istum & habebitis lignum vitæ, aperientur oculi vestri, producetis vitam vsque ad renouationem mundi, morbos omnes propulsabitis, &c.*

Atq; inde est, quod fascinati miseri illi homines medicinam imaginariam suam, ita extollunt, vt nullū maius donum à Deo datum humano generi agnoscant, vtque vitam æternam ipsam præ hac parui pendere videantur. In Archidoxis scribit monarcha ipsorum: *Adamum diutissime vixisse propterea, quod artem lapidis conficiendi tenuerit, cum alii multi eodem tempore, qui artem ignorarent, non diutius quam nos vixerint, in diluuiō, autem periisse eam una cum hominibus.*

Quanta hæc audacia, quantaque cōtradictionis infamia sunt prolata? Si sancti Patriarchæ lapidis vel cuiuscunque rei humana industria præparatæ beneficio  
vitam

vitam longævam adepti sunt, non excludi poterit ab eorum numero Noah, qui & ante & post diluuium vixit. Si igitur Noah peritus artis fuit, quomodo perisse eam dicis? nonne propagare poterat ac docere filios, posterosque trecentis quinquaginta annis, quibus post diluuium vixit? Sin amissa fuit, quis eam Hermeti, Lullo ac tibi similibusq; magis ex integro reuelavit? Quod si igitur ignorasse illam Noah respondebis, falsum erit, quod prius affirmasti Patriarchas ex ea longæ vitæ causas habuisse, & necesse erit, vt apud impios, qui deleri fuerunt, in vsu ars fuerit, quos tamē antea non diutius nobis vixisse aiebas, propter artis ignorantiam. Ita mendacium vbique suo se gladio iugulat.

Demus tamen ipsi artem notam fuisse quibuscunque voluerit, cur nemo hætenus inuentus est homo, qui omnes morbos curauerit in quos incidit, quique vniuerso suo genere curabiles esse pronūciantur? Potentia profecto artis vel lapidis, si nunquam ad actum vniuersalem deducta fuit, neque in vlllo artifice conspecta, quomodo fidem faciet vlli cordato de veritate ac possibilitate tanta? Certe enim si ars est vera, necesse est, vt aliquis extiterit artifex etiam, qui præstiterit id, quod illa pollicetur, cum sine hoc esse aut intelligi nequeat. Omnibus quidem temporibus veritas suos hostes habuit, & aduersantes iis, quæ recte tradita essent. Medicinam multi oppugnarunt: fuerunt in ea sectæ: & Theſſalus nouam docendi rationem commentus est. Nonnulli Arabes damnarunt, alii Græcos repudiarunt: sed nostro hoc tempore, quod antea factū est nunquam, Medicina, quæ ab initio mundi pro medicina habita est, non emendatur, non augetur, nō excolitur, sed tota reiicitur, nullo discrimine omnia damnantur, cum fieri tamen non possit, quin verum aliquid insit, & imperitissimi quique rabiosissime clamant.

At facile est admodum veteres optimos reprehendere, atque virulentissimis conuitiis infectari, sed meliora docere, quã illi nobis reliquerint, arduum est. Illi quæ tradiderunt, optima & consentiente philosophiæ medicinæque *συσείσθ* comprehensa habemus, ita ut verum vero consonet: insuper euentus à causis non discordantes demonstrare possumus, testimoniaque verbi diuini à nostra via non sunt aliena. Alium consensum omnium artium atque scientiarum isti nūquam constituent, neque hunc etiam, quem Dei beneficio tenemus vnquam euertent. Et quid miseri cōstituerent, qui nec ut homines loqui volunt, barbaris & rebus & nominibus dementati, principiaq; sua nolunt cognita esse, sed iubent ea in carbonibus ac tenebris quæri, cum tamen omne verum sua natura luce gaudeat, quemadmodum Deus ipse veritas est, & lux æterna.

Sæpe igitur in mentem mihi venit Therisitæ Homericæ, quem hoc monstro tamen multo tolerabiliorum fuisse iudico, & quæ de illo dicta sunt, huc potius esse accommodanda:

Βομβασὸς δ' ἐπιμυῖν ὁ ἀμειβομένης ἐκθλάσσει,  
 Ὅσ' ῥ' ἐπεὶ φρέσιν ἦσιν ὄκνησμά τε παλλὰ τε ἠδ' εἰ  
 Μάψ', ἀτὰρ ἔκαστ' ἕσθ' ἕσθ' ἕσθ' ἐλξέμεν ἰητροῖσιν,  
 Ἀλλ' ὅ, ἡ οἱ εἰσάτω γελοῖον γερονοῖσιν  
 Ἐμμεναί. αἴχισθ' δὲ ἀνὴρ ἐπὶ φάρμακῶν ἦλθε,  
 Μῶρθ' ἐν κεφαλῇ, ψεδνή δ' ἐπὶ νήνοθε λάχνη,  
 Ἐχθισθ' δ' ἦν ἰπποκράτει καὶ πείσι πηλαγοῖς.

Cui pio & erudito homini non suspectum maxime fit, quod Iamblichi, Trismegisti, Orphei, atque eius farinae plurium opiniones omnes amplectuntur noui isti reformatores, & tantum non prophetis scriptis anteferunt, quorum tamen doctrina olim non fuit nõ intellecta, sed sine dubio luce veritatis ac verbi Dei oppressa. Hi vero tanquam canis ad vomitum reuersi quicquid magicum, superstitiosum, infame, fabulosum, inane, fictum, futile, absurdum est, omnium maxime

xime

xime ex veterum scriptis excerpunt & probant, rationibusque fulcire conantur.

Apparet ergo à vero non aberrasse illum, quicumq; dixit omnes omnium de natura errores ac deliria in vnum Bombastum cōfluxisse, vnde se monarcham appellari voluit, sicut olim Menecrates Iouem. An legerit vnquam veterum scripta illa nescio, & dubito, & vix credo: à quo vero infusos istos errores hauserit alii iudicent. De dæmonibus vel diis creatoribus Platoniorum figmenta, sicuti etiam de anima mundi penetrantis omnia (quanquam diuersis prolata verbis) tuerur. Plures mundos admittit, vt Democritus, & dubiū facit, pro cuius mundi animalibus Christus passus fuerit: quæ horrenda blasphemia est. An nescire potuit, ex quorum semine, & vbi natus fuerit? vbi deniq; passus atque mortuus? quibus Euangelium annunciari iusserit? qui nã & cuius mundi homines hodie etiamnum ipsi contradicant?

Democritus præterea & Empedocles docuerunt *similia à similibus pati atque fieri*, idem defendit etiam Helueticus Theffalus: vti etiam illorum opinionem, qui ex separata magnitudine, id est, ex re incorporea corpora gigni arbitrati sunt, vel ex punctis quasi, quæ principia ipsius asseclæ semina, radices, spiritus sciētia præditos, & variis nominibus aliis appellant. Imitatus est *πανταρχίαν* Anaxagoræ, ac contendit omnia esse in omnibus, & ex iis arte chymica separari posse. Præterea quantum fumi dedit ex luce vel igne illo stoicorum artificiali, quem nunc Deum, nunc Naturam esse dixerunt: ex quo hic noster vsque ad nauseam vbiq; de igne vel lumine naturæ, aut re vel substantia cœlesti quadam in mixtis recōdita, ad ignem vere artificialem chymicum lusit.

Longe his plura alia inueniet, qui considerationem huc conuertet suam. Et tamen hypocrita Aristotelis ac Galeni tanquam gentilium tenebris non credendū

esse clamat, quasi vero hi, quos imitatus est, gentiles & à Christi fide alienissimi non fuerint. Quin cuncta etiam figmenta, omnesq; vetularum nœnias, quas ad colum excogitarunt, crasse intellexit, amplexus est, ad institutum suum rapuit, pro veris tradidit, qualia illa sunt *φαντασμά* de spiritibus domesticis ac homunculis familiaribus, de pygmæis, de nymphis & spectris aquarum, de Vulcanis, de Melosina, de monte Veneris & ianitore eius Echardo, &c. Quis talium portentorum patrono fidem vllam habeat? Ut taceam, quod nullius ipse Ecclesiæ ciuis fuerit, sed omne religionis genus, quod doceretur, damnauerit, seq; solum theologiam veram nouisse iactauerit.

In his ergo clarissimis rebus, qui veritati contradicere ausus fuit, non mirum est, si in Medicina etiã vero se opponere non dubitauit. Quid quod alicubi nō semel scribit, dum in antiquos fere omnes inuehitur, neminem recte agnouisse veram medicinam? Ergo somnium inane fuit, & nec ipse vere agnouit. Quod igitur in nullius cognitionem venit vnquam, quomodo id pro vero haberi possit? aut si venit, sicuti Patriarchis notissimã fuisse alibi dixit, quomodo non mendacissimus fuisse deprehensus est?

Certe si vniuersalis medicina ista sic se habet, vt isti docent, iniquum Deum faciunt, qui tantum thesaurũ, tantumque bonum diuitibus solum comparandum proposuerit, cum inter pauperes plerumque probiores, sanctioresque homines reperiantur, quam inter diuites. Nam quod aiunt, omnibus æque parabilem esse, merum est ludibrium spiritus, qui est *ἐπιχαρπένγκ*, quo fascinantur hominum animi, prorsusque in summa luce excæcantur, cum quotidiani euentus testentur plurimos incredibili stultitia magnas opes perdidisse in his latomiis, & tamen reperisse tandem nihil: quid igitur quærat aut quomodo toleret sumtus pauper aliquis? Notissimum est præterea viliora remedia, quam



quam sit vniuersale illud in maiestate Naturæ repositum, ab Alcumistis non nisi maximo precio vendi hominibus, quale nullus pauperum persolvere queat.

Quam pulcrum vero mūdum habebimus, & quales politias, si vniuersi homines lapidæ fiant, vnique lapidi inueniendo incumbant? Si respondeāt, quis hoc vnquam ex nobis postulauit? Dicam vnde hoc deduxerim. Clamatis esse summum bonum hanc medicinam, omnique mundo necessarium & indefesso studio inquirendum, ideo etiam reprehenduntur à vobis, qui aliam viam medicinæ sectantur. Deinde affirmatis notum & reuelatum fuisse paucissimis, atque etiamnum reuelari. Tandem si cui reuelatum fuerit, additis esse mysterium sanctissimum, quod nefas sit cuiquam cōmunicare: In quo manifesta manibus etiam palpatur vanitas vestra. Si igitur per communicationem propagare artem illam non licet, & tamen vultis, vt sit in vsu illa, veteri repudiata medicina, nonne inde sequitur, singulis esse huclaborandum, vt per se illam comparent: & tamen plurima ex parte frustra, cum paucis datum sit illam nosse? Hic vero summa impudentia prorumpunt: credatur nobis, nos pauci erimus, qui in mundo medicinam faciemus, & si artem communicare non licet, communicabimus tamen inde auxilia, vel communicabimus mercurios, salesque sulphureos ex vegetabilibus atque mineralibus particulares interea, valde etiam profuturos in grauissimis malis: interim conferant alii mortales auri puri copiam, ex quo thesaurum diuinum multiplicemus, ne vnquam deficiat, &c.

At quibus tandem rationibus fidem facitis, vni aut alteri homuncioni totum mundum credere debere, blateranti de arcana quadam re, quam dicat & fateatur, interdum nemini fuisse cognitam, interdum sibi tantum, interdum hominibus ante diluuium, & opere nunquam comprobet omnibus morbis illam mederi,

sicut iacet? Interim quoque alius alium ex manipularibus suis reprehendat de perversitate preparationum, ut hoc etiam modo negotii totius status magis apud omnes prudentes suspectus reddatur. Quot principes & viri nobilissimi decepti, & in precipitium extremum ferme adducti sunt his artibus?

Nec est quod hæc imputentur certis solummodo deceptoribus. Scimus in omni genere vitæ impostores reperiri, sed tamen sunt etiam viri excellentes in aliis artibus, virtute ac scientia probati, quorum comparatione intelligi queat, quid *distent a lupinis*. Mōstrate vos etiam excellentes & præstantes veritate suæ professionis in hoc lapide medicinali, & viceritis. Nō vero ogganniatis nobis Hermetem, Lullum, Bombastum, quorum fama solis verbis & propriis constat testimonius, opera experientiæ volumus, habemus enim non solum manus, ut ille aiebat, oculatas, verum sensus etiam oculatos, qui nihil nisi quod videant & experiantur, pro vero accipere possunt.

Nimis friuolum est istud, quod prætexunt, non dari vitiosis, impuris, impiis cognitionem huius boni, nec etiam quibuslibet bonis, quia metuendum sit, ne abutantur homines tāta felicitate. Quam notorie fuit Bombastus vinosus & crapulosus, & nulla virtute cōmendabilis? cui tamē veluti monarchæ primas in hoc genere tribuitis. Si vero propter abusum bona sunt occultanda, occultanda erat etiam Evangelii doctrina, qua nulla diuinior atque excellentior vnquam in genere humano exaudita est, & abusus nullibi periculiosior est, quam in illo doctrinæ genere, quod ad salutem æternam pertinet, plurimisque cedit in scandalum atque ruinam sempiternam. Christus saluator tamen nihilo minus dicit ad Apostolos: *Docete Evangelium, & predicate omnibus creaturis*. Nos igitur contra illis opponimus bonum omne cuiuscunque generis esse, & debere esse *κρίνωμεν* & *κρίνωμεν*, adeo ut ratio boni etiam

etiam diminuatur, nisi commune fiat & plurimos sui participes faciat. Bonum ergo aliquid potest induere rationem mali propter finem & vsum malum, sed malum nunquam bonum esse potest, cum non sit ordinatum in bonum finem: quales sunt eiusmodi curiosa artes, de quibus in actis Apostolorum scribitur, ex quo genere sine dubio hæc noua etiam emanauit disciplina.

Cur vero tantum bonum hoc faciunt, etiam si liceat potiri ista medicina, quæ certum vitæ præsidium adferat? An vita hæc tanti faciendi est, quanti vos illam æstimatis? Nonne multi sanctissimi homines, spiritu Dei pleni, maximo desiderio liberari ex huius vitæ carcere, & ad Deum migrare exoptarunt? Vt itaque diuitiæ supremum bonum non sunt, ita nec sanitas. Quid prodesset enim homini, si quam diutissime viuat & iacturam faceret animæ suæ? Vita & sanitas habent suum locum inter bona suoque ordine ac modo tuenda sunt, ita videlicet ne potiora & æterna bona illis postponantur.

Vt autem non hominibus solum fucus fiat, verum Deus ipse etiam sine offensione grauiore non relinquatur, plurima dicta sacrae scripturae nefario ausu huc detorquentur, de quibus hoc loco nihil dicam, nisi de paucis, vno fortassis atque altero, quæ propositum nostrum attingunt.

*Et erunt omnes docti à Deo*, inquit Scriptura: hoc dictum transfert Bombastus ad lapidis Philosophici cognitionem, & ad sanitatis curam, quæ omnibus possibilis semper sit futura. Quasi vero Spiritus sanctus de eiusmodi caducis & perituris rebus concionari ibi voluerit, & non de vera pace ac consolatione conscientiarum, quam habituræ sint ex Euangelii Spiritusque sancti inhabitantis eruditione. Ego breuiter impia isti interpretationi obiicio Mosen, qui inquit: *Prophe- ta verus erit & a Deo missus, si euenerint quæ pradixit. Nō*

euenerunt, quæ prædixit Bombastus de curatione omnium morborum, de secta sua mox post quinquagesimum supra millesimum quingentesimum annum triumphatura, de ruina atque interitu Philosophiæ & Medicinæ veteris, de noticia lapidis à Deo omnibus communicata: mendax igitur Spiritus hæc, & similia verba, in ore Pseudoprophetæ huius posuit.

Quando etiam Christus dixit: *agri egent medico: rapit ille hoc ad id, quod omnes morbi possint sanari à medico, quæ tamen plane nulla est consecutio. Dominus ibi taxat hypocrisim Phariseorum, qui se iustos putabant, patiamini, inquit, ut his miseris peccatoribus sim medicus, si vos iusti, ut falso existimatis, meo auxilio non indigetis.*

Attendat vero lector, qui sani modo est cerebri, quam belle hæc concordent: *agri corpore egent semper sanante medico, ergo habent talem vel habere possunt in natura. Quis à priuatione ad habitum vnquam argumentum necessarium duxit? Quis irreuerentius de æternis rebus dicta Christi ad physica & caduca hæc detorsit, præter vnum Bombastum?*

NOBIS CONSTAT, & certum est igitur, vnum non esse vniuersale remedium, nec ex naturæ viribus esse posse, quia vnum tot cõtrariis morbis opponi eodem modo nequit. Vnicum tamen aliquando fuisse concedimus, Hierosolymis ad probaticam piscinam Bethesda, de quo scribit Euangelista Ioannes, capit. 5. Verum id neque physicas vires habuit, neque destillatoria arte præparatum remedium fuit.

Nec vero curamus etiam, quod nugantur de similibus à similibus curatione. vt enim alia omittam, concessio etiam illo, quod similia per similia curentur, neque tamen vnum tot diuersissimis morborum speciebus simile esse poterit. Quod si roborando tantum internam mumiam vel balsamum morbos expellere dicant, balsamum tamen illud vnus modi impedimenta  
obiecta

obiecta non habet, neque ergo vniuersaliter vno modo semper roborari poterit: sicuti nos scimus naturam & calorem natium aliud rebus requirere in febribus ardentibus, aliud in atrophia & phthisi, aliud in asthma & apoplexia, &c.

Vnde & Galenus 8. libr. comp. sect. loc. dicebat: *Impossibile est pharmacum inuenire omnibus dictis affectionibus aptum.*

Sed vide inconstantiam istius sectæ: de quo optime meritam vetustatem adeo inclementer flagellant, id ipsum non semel ipsi quoque verum esse confitentur. Bombastus ipse in lib. de contracturis fatetur aliquando incurabilem contractionem membrorum oriri posse ex læsione aliqua, vel accidente externo aliquo. Eodem lib. inquit: *Quando membri Spiritus humorque vitæ prorsus perierit, non posse curari tum contracturam.* Secundo lib. archidox. hæc habet: *Morbis ex natiuitate sumens exordium in restauratione vel renouatione, id est curatione, vt aliqui commodius eum interpretantur (nam aliqui suspicantur ipsum de resurrectione & vitæ restitutione locutum) non aufertur.* Toties vero fatum excipit, vt non opus sit loca citare, quicquid enim per fatum intellexit, concedit tamen hoc ipsum impedire & obstare, quo minus morbi curentur interdum.

Aliquoties etiam monuit, hominis propriam naturam tam esse aliquando imbecillam, vt bonum fundamentum aut radicem à natiuitate nõ habeat, ac talem conseruari non posse. Vere hoc dicitur, est tamen cõtra <sup>theoriam</sup> ipsius omnes morbos esse curabiles, & exemplum cum regula pugnat.

Alius ex discipulis, qui inter primos voluit haberi, ita decreuit, morbum qui non sit ex cælo, sed ex supercælesti causa, non subiacere lapidi isti famoso: Item, si vnum ex principalibus membris septem (vt numerare solent) putredinem vel corruptionem patiatur

in substantia, nullam spem sanitatis superesse.

Tandem postquam omnia tentarunt, & lapidem suum (aliaque arcana inferiora) vel inefficacem experiuntur, vel in lucem producere nequeunt, ad incantamenta & imposturas characteristics confugiunt, quæ ego media neque naturalia esse, & à re medica alienissima, supra ostendi. Neque de his refutationem longiorem instituiam, videntur enim profecto id genus homines communi quoque interdum sensu destitui, nec minore *τυφωμηνία* infatuati esse, quam inter Anabaptistas quidam deliro entusiasmo correpti fuerunt, ut infinito quasi labore, quo ad sanam mentem redeant, opus esse videatur. Neque ego nunc eam ob causam hæc scripsi, ut illi sectæ ex professo contradicerem, sed scopum operis huius hac ex parte indefensum & quasi nudum non putavi esse derelinquendum. Demonstraui igitur figmentum hoc de vno vel pluribus certissimis remediis, contra omnes morbos pugnare cum expresso verbo Dei, cum ratione, cum experientia, & vanitate sermonum, quibus fulcitur seipsum euertere, nec arbitror fore, ut quisquam eruditior in hac parte à me dissentiat. In hac ergo sententia, quam hoc libro proposui, vna cum veneranda antiquitate & perpetuæ experientiæ testimoniis, acquiesco.

F I N I S.

INDEX



INDEX RERVM IN  
LIBRVM BRVNONIS SEIDELII  
DE MORBIS INCVRABILIBVS.

<b>A</b> bsurdum ex eo si omnes morbi essent curabiles	31
<b>A</b> bsurdum ex eo medicinam non esse artem	70
<b>A</b> ctio olim data in medicum	45
<b>A</b> dolens quidam accepto vulnere in anteriore ventriculo cerebri seruatus.	15
<b>A</b> dstantes medicum de voluntate & consuetudine egro- rum admonere debent	98
<b>A</b> dstantes quales esse debeant	96
<b>A</b> dstantes siue ministrantes egro causa sunt morbi	92
<b>A</b> gri delicati & effœminati	76
<b>A</b> grorum inobedientia in quibus consistat	73
<b>A</b> grorum liberalitas in verbis	89
<b>A</b> gro quando gratificandum	83
<b>A</b> grorum rebellis voluntas	72.73
<b>A</b> grotantium officium	69
<b>A</b> grotantes sibi ipsi causa sunt extremi mali	69.68.72
<b>A</b> hasias Rex Israëliticus	23
<b>A</b> loysius Bellacattus medicus Patavinus	102
<b>A</b> lcumistarum lapis	136.137.140.141
<b>A</b> ναξιφιλαιως & brevis repetitio totius libelli	103
<b>A</b> n omnia morborum genera saluo indiuiduo ex hominum corporibus auferri possint	10.11
<b>A</b> ntipater Sidonius Poeta febre extinctus	11
<b>A</b> ntiochus & Herodes	23
<b>A</b> poplexia	12
<b>A</b> que formidate que dicantur Ouidio	63
<b>A</b> rabs Auenzoar in vincula conicitur propter morbum non curatum	106
<b>E</b> ius rei historia	106.107

## I N D E X.

<i>Arrogantia Pharmacopolarum</i>	57
<i>Ars imitatur naturam</i>	110.111
<i>Artifex Aristoteli quis dicatur</i>	110
<i>Asclepiades omnis calamitatis morbidae expers</i>	32
<i>Asclepiades lapsu scalarum exanimatus</i>	32
<i>Avaritia egrorum medicum deterret</i>	86
<i>Auari heredes dedita opera egrum interimunt aliquando</i>	
92	
<i>Autoritates summorum medicorum non contemnenda</i>	104
B.	
<i>Bellum inter medicum, morbum &amp; egrum</i>	71
<i>Benedictio Domini</i>	24
C.	
<i>Cecitas nativa an curetur</i>	7
<i>Cecitas Elymae Magi</i>	24
<i>Cancer an curationem recipiat</i>	19
<i>Capita precipua, ad qua morbi incurabiles referri possint</i>	
6	
<i>Cardanus perperam Hippocratem explicat</i>	113.114.115
116.117	
<i>Cardani duplex demonstratio, quod morbi ab initio sint sanabiles &amp; in insanabiles degenerent</i>	117.118.119
<i>Caritatis proprium</i>	44
<i>Casu multi conualescunt. 101. &amp; eius exempla.</i>	
<i>Casualia seu fortuita comprehendi arte nequeunt</i>	99
<i>Casus aut manifestus aut occultus</i>	100
<i>Casus manifesti exempla multa.</i>	100
<i>Casus occulti exempla</i>	101
<i>Caute cum periculose egrotantibus agendum</i>	97
<i>Chymista</i>	112
<i>Chymicorum lapis Philosophicus</i>	134.137.138.140.141
<i>Chryssippi discipulus</i>	80
<i>Cognitio omnis multis obstructa difficultatibus</i>	35
<i>Cognitio morborum obscura</i>	66
<i>Collatio medici &amp; Iurisperiti ratione euentuum</i>	78
<i>Conditio</i>	



## I N D E X.

<i>Conditio medici iniquissima</i>	80
<i>Confidentia ingenii in medico causa existit nō curati mor- bi</i>	41
<i>Coniecturis utitur ars medica</i>	110
<i>Contraria remedia quatenus sint morbis</i>	23. 24. 25
<i>Cōulsio ex siccitate nimia affectio periculosissima vix cu- rari potest.</i>	21
<i>Cor nullas noxas citra vitæ discrimen sustinet</i>	15
<i>Cordis media pars putredine &amp; sanie consumta</i>	17
<i>Cordi vulnus inflictum necessario mortem affert</i>	16
<i>Creatio</i>	26
<i>Curatio morborum fit per contraria</i>	5
<i>Curatio que fieri arte non potest, non suscipienda</i>	21
<i>Cur egri quidam interdum a medicis indoctis sanentur</i>	
4 <sup>o</sup>	

### D.

<i>Deus autor medicine</i>	125
<i>Deus seu fatum prima causa morbi per accidens incurabi- lis</i>	22
<i>Deus optimus omnium morborum medicus</i>	126. 127
<i>Deus prorogat vitam</i>	27
<i>Deus non est causa necis Saulis &amp; Iudæ</i>	27
<i>Deus septimo die non sic quieuit, ut creationis potestatem deposuerit</i>	26
<i>Dicta aliquot Syracidæ de longitudine vitæ &amp; prestituto hominis sine explicantur</i>	28
<i>Dignitates in Academiis interdum ineptissimis tribuun- tur</i>	51. 52
<i>Diverse opiniones hominum de causis morborum incurabi- bilium</i>	2
<i>Diuinatio ex urina</i>	84
<i>Diuinum in morbis Hippocrati quid</i>	25. 26
<i>Dona Dei varia sunt</i>	43

### E.

<i>Epileptici</i>	8. 9
<i>Erasistrati dictum</i>	51

K . 1

## I N D E X.

<i>Errata aegrorum</i>	73.74.75.76.80.81.82
<i>Errata mediocria corrigere licet, magna non item</i>	64
<i>Errata ministrantium aegrotanti</i>	93
<i>Euentus curationis in manu Dei</i>	44
<i>Exempla aliquot non curati morbi inscitiâ &amp; negligentiâ</i>	49
<i>Explicatio versus Ouidiani de podagra</i>	62
<i>Exteriora quae ad aegrum spectant qualia esse debeant.</i>	94
	95
<i>Extera ne aegrum offendant curandum</i>	96
<i>Ex uxore sana quidam omnes liberos progignit surdos ac mutos</i>	10

### F.

<i>Fax medicorum</i>	52
<i>Fatuitas congenita emendari nequit</i>	9
<i>Fatuitas Claudii pueri</i>	9
<i>Fatuitas unde &amp; ex quibus causis ortum trahat</i>	10
<i>Fatum physicum causa morbi incurabilis per accidens tertia</i>	30
<i>Febri consumtorum exempla</i>	11
<i>Febris pestilens curari potest</i>	11.12
<i>Fernelius calculo extinctus</i>	57
<i>Fernelii sententia de contrarietate morbi &amp; medicamenti, item de incurabilitate morborum</i>	120, 121
<i>Fiducia &amp; persuasio hominum quid possit</i>	40
<i>Finis medici quis</i>	89
<i>Fœmina acum deglutiens difficulter curatur</i>	20
<i>Fortuna seu casus non curati morbi causa</i>	99

### G.

<i>Gabriel Zerbus Patanii a Turcicis occisus propter medicinam</i>	25
<i>Galenii de eadem re</i>	105
<i>Galenus quae in medico praestanti requiratur</i>	36
<i>Γλαύκωμα an curari possit</i>	19
<i>Glaucus</i>	

## I N D E X.

<i>Glaucus medicus ab Alexandro M. supplicio affectus ini-</i>	80
<i>quo</i>	
<i>Gratis nemo laborat, ergo nec medicus</i>	90

### H.

<i>Hætica senectutis confirmata non curatur</i>	11
<i>Heliodorus ab angelis percussus</i>	24
<i>Heliseus Naaman Syrum a lepra liberat</i>	24
<i>Herophili dictum</i>	58
<i>Hippocratis autoritas de incurabilitate quorundam mor-</i>	
<i>borum</i>	105.114.115.116
<i>Hippocratis locus de honore &amp; premio medicis offerendo</i>	
91	
<i>Hippocrates quos duces in medico requirat</i>	37
<i>Honor medico debetur</i>	87
<i>Hyperborei morborum expertes Plinio</i>	32

### I.

<i>ἰατρὸν quid significet</i>	3
<i>Ieroboam Rex.</i>	23
<i>Ignoti nulla curatio morbi</i>	66.67
<i>Imperator Augustus &amp; mater Antonia</i>	10
<i>Incurabiles esse quosdam morbos sacra litera testantur</i>	126
<i>Incurabiles morbi per se qui</i>	6
<i>Incurabilis morbus per se quis &amp; qualis</i>	4
<i>Incurabiles per accidens qui dicantur morbi</i>	6
<i>Indicationum aliquot rationes</i>	74
<i>In dubiis casibus utendum remediis communibus &amp; tutis</i>	
18	
<i>In fide Christiana recte institutum quid deceat</i>	30
<i>Ingratitudo egrotantium</i>	86.89.90
<i>Iniuria medico ab agris illata</i>	75
<i>In malis quedam perfectio</i>	62
<i>In medico duplex potest esse causa non curati morbi</i>	34
<i>In medico perfecto quid requiratur</i>	36
<i>In medicum non omnis culpa conferenda</i>	78

K 4

## I N D E X.

<i>Inscitia audaciam facit</i>	46
<i>Inscitia rudium imputatur doctioribus medicis</i>	52
<i>Intemperantia egrorum</i>	79
<i>Iobi aliquot dicta de vite humana termino explicantur</i>	28
<i>Iobus</i>	23
<i>Ioras Rex Indæ</i>	23
<i>Iuuenis quem secuit Realdus Columbus non habuit pericardion</i>	17

### L.

<i>Lapis philosophicus Chymicorum</i>	136.137.140.141
<i>Lex Constantini de priuilegiis medico concessis</i>	88
<i>Locus Cardani de morborum incurabilitate, quo perperã explicatur Hippocrates</i>	114
<i>Lues Venerea</i>	5

### M.

<i>Macrocephali</i>	8
<i>Magorum obiectio dissoluitur</i>	29
<i>Magi &amp; malefici ex ciuitatibus reiiciendi</i>	30
<i>Maiorum opera naturalibus mediis tolli nequeunt</i>	29
<i>Magnitudo morbi</i>	59.60
<i>Male mederi non mederi</i>	41
<i>Manes hereticus excoriatus propter temeritatẽ auxilii</i>	25
<i>Marasmus torridus, non nisi Deo volente curatur</i>	11
<i>Medicamenta exoleta causa non curati morbi</i>	57
<i>Medicos audaces fortuna iuuat</i>	41
<i>Medicus perfectus interdum labitur</i>	45
<i>Medicus peritus quid in principio morbi faciat</i>	48
<i>Medici quidam certis pactis demoni obligantur</i>	45
<i>Medicus ab egroto de spe valetudinis recuperandæ interrogatus quid respondeat</i>	97
<i>Medico quid in primis considerandum</i>	25
<i>Medicinam quidam putant diuinatricem esse</i>	84
<i>Medicine duo crura</i>	43
<i>Medicine prognosticus vsus</i>	112.113
<i>Medicina olim magno in precio</i>	88
<i>Medicina in Italia floret</i>	19

*Medici*

## INDEX.

*Medici docti illiberales & auari causa non curati morbi*

53

*Medici felicitas & iniquitas* 39

*Medici insulsi quidam* 69.70

*Medici imperiti par erga ociosa* 40

*Medici indocti* 43.46.47.50.51.52.56.69.75.76

*Medici officium quod olim fuerit* 53

*Medici fama multi, re pauci* 38

*Medicus utitur coniecturis* 34

*Medicus sanat contingenter* 109

*Medicus quamuis eruditus potest à fine sperato aberrare*

34.66

*Medicus non semper ex necessitate sanat, sed contingenter* 6

*Medico quid in primis considerandum* 25

*Medicum oportet quoque esse philosophum* 37

*Medicus accessum ad agrum moderetur* 99

*Merces medico debetur ampla* 87

*Ministri causa sunt erroris* 57

*Mollities agrorum* 79

*Morbi exigui interdum fiunt incurabiles* 29

*Morbi hereditarii unde & qui* 7

*Morbus incurabilis quis* 4

*Morbi in senibus incurabiles, in iuuenibus secus* 32

*Morbi malignitas* 65

*Morbi prestigiis diabolicis excitati incurabiles qua ratione* 29

*Morbi qui senectutem ad mortem concomitentur, qui* 32

*Morbi periculosi accessione malifaceta fiunt periculosi* 63

*Morbus veteribus grauissimus quis* 55

*Morbus non curati egri causa quando* 59

*Morbi per accidens incurabiles* 22

*Morbi noui* 67

*Morbus Gallicus* 68

*Morbi & medici bellum* 71

*Moriendum est* 31

## I N D E X.

<i>Mori saepe praestat quam vivere</i>	25
<i>Moses quare mori iubeatur</i>	28
<i>Muliercularum &amp; Theologorum ineptum consilium da- ium</i>	83
<i>Multos ante diem perire</i>	27
<i>Munera amplissima medicis oblata</i>	88

### N.

<i>Natura vincit morbos exiguos, magnos non item</i>	61
<i>Non quibusvis stultis vulgi atq; rudium hominum opinio- nibus obuiam eundum</i>	3

### O.

<i>Occasio praeceps</i>	75
<i>Occulto casu multi moriuntur</i>	102
<i>Octavii Horatiani dictum</i>	105
<i>Officinam medicamentorum cuius aperire non licet</i>	55
<i>Operans mercede dignus</i>	44

### P.

<i>Pauli Aeginetae de incurabilitate morborum autoritas</i>	106
<i>Pestis</i>	12
<i>Pestem immediate à Deo immitti disputatur &amp; probatur</i>	26
<i>Pharmacopola cur &amp; quibus de causis medicamenta confi- ciant, non autem medici</i>	54
<i>Pharmacopola causa existit laesa fama medici</i>	56
<i>Pharmacopola officium</i>	56
<i>Pharmacopolarum error in medicamentis exhibendis</i>	58
<i>Pherecides Syrus copia serpentum extinctus</i>	68
<i>Phthisi correptus an curari possit, ut sanitatem recuperet, &amp; quare non</i>	19
<i>Pii semper ad mortem instructi sint</i>	28
<i>Platonis locus</i>	70
<i>Podagra</i>	62
<i>Podagricus casu conualescit</i>	101
<i>Predestinatio diuina</i>	22

Primo-

## I N D E X.

<i>Primorum parentum conditio ante &amp; post lapsum qualis</i>	123
124	
<i>Probatum Deum aliquando esse causam morbi non curabilis</i>	23
<i>Prudentis medici in aggradienda curatione officium</i>	14

### Q.

<i>Quales nos Deus esse velit in morborum afflictionib.</i>	24
<i>Quid pro quo</i>	58
<i>Quibus causis morbi fiant magni</i>	60

### R.

<i>Rhazis autoritas de morborum incurabilitate</i>	106
<i>Ruptura maioris venae seu arteriae cur curari nequeat</i>	18
<i>Remedia an ante lapsum condita</i>	122
<i>Remedia quatenus morbis contraria</i>	128
<i>Resecta corporis partes restitui oleo nequeunt</i>	13

### S.

<i>Salubre quid significet</i>	3
<i>Sanabile quomodo accipiat auctor</i>	3
<i>Sanitatis restitutionem polliceri temerarium</i>	29
<i>Senectus per se morbus</i>	31
<i>Senectae descriptio ex Ecclesiaste</i>	33
<i>Seni in morbum incidenti quid agendum</i>	33
<i>Senibus quare morbi accidant difficiliores</i>	33
<i>Sermonis in mutis priuatio natua an curetur</i>	7
<i>Sermonis in mutis priuatio natua in quibus organis consistat</i>	ibid.
<i>Simile a Cassandra Troiana</i>	44
<i>Simile a lepore &amp; cochlea</i>	42
<i>Simile a nautis</i>	42
<i>Simile ab agricola sementem faciente</i>	24.25
<i>Simile a norma mechanicorum</i>	36
<i>Σφακελ⊙, seu sideratio, seu frigidus ignis quid?</i>	20
<i>Staphyloma seu clauialis oculorum proidentia nō curatur</i>	
18.19	

## I N D E X.

*Superstitio idiotarum in offerenda medico urina* 84.85  
*Surditas congenita an curetur* 7

### T.

*Tria quae artem & curationem perficiant* 71  
*Tria quibus intentus esse debet medicus* 47  
*Tria summa morborum genera* 7

### V.

*Valens imperator tremore manuum punitur* 23  
*ὕπερβον quid significet* 3  
*ὕπερβον quid* 4  
*Venetae Reipublicae beneficium, quo incurabiles afficit*

108

*Veteres medici quales fuerint* 41  
*Vires augeri & roborari ante morbi medelam non debent*

82

*Vis in semine quanta* 10  
*Vis magnitudinis morbi* 64  
*Vitium in intestinis natiuum* 10  
*Vlcer a pulmonum quare non curari possint* 20  
*Vsias Rex* 23  
*Vulnera ventriculi quare curari non possint* 18  
*Vulnera quaedam incurabilia* 14

### X.

*Xenophilus musicus 105. annis sine ullo corporis incom-  
modo vixit* 31

## F I N I S.





GRÆCÆ LINGVÆ  
 PERITISSIMO  
 Dn. IOANNI OPSOPOEO  
 MEDIC. DOCT.

EPI TAPHIVM

IN

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

Dn. GVLIELMI

HASSIÆ LANDGRAVII, Dn. SVI

CLEMENTISSIMI

OBITVM IMMATVRVM.

Offero, Dedico, Consecro,

Lubens

Volens.


M. ZACHARIAS PALTHENIVS FRID.

**Α**ρχεο Μῆσσα φίλη, ἐλεφνὸν ἔω' ὄφρουσιν εἴβειν  
 δάκρυον, ἀχνυμένη ἀρχεο Μῆσσα φίλη.  
 Θρήνεε Μῆσσα φίλη, γρόωσά τε μυρομένη τε  
 εἶπ' ὀλοφυδνὸν ἐπ' ὄ, θρήνεε Μῆσσα φίλη.  
 Δέσματ' αὖ γὰρ θανάτῃ βροθλοῖν ἔμειψαν ἀγαυὸς  
 ἀνέρα, συμπάσης ἀσπίδα φῶς τε χθονός.  
 Ἄξιον ἀσπερχές πῆλῶν γῆρας ἰκίαλ  
 βάρδιτον, λαμπρῆ ἄξιον ἡελίου.  
 Δηρὸν εὐζῶειν ἐν λαοῖς ἄξιον οἴσιν,  
 ἄξιον αἰδῆς νωλεμέως τε κλέους.  
 Τίς ΓΥΛΙΕΛΜΕ τείν κύδιζε φθόνησε βίοιο;  
 τίς τε βίοιο προῶ ἐκ σέο χρωτὸς ἔλεν;  
 Μοῖρ' ὀλοή τε κακῆ τῶν ἔπις ἀλδύαται ἀνδρῶν  
 οἱ ἐνὶ καρποφόρῳ σίτον ἔδρασι χθονί:  
 Αἴθε δὲ μὲν θνητῶν ὑπερ ἀνδρῶν λύτρον ἔοικεν,  
 αἴθε κακῆς λῦσαι κηρὸς ἔοικε πιδῶν.  
 Ἡ μὲν δὲ γυλίου, χρυσοῖο τε πολλὰ τάλανα  
 Σοῦ ὑπὲρ ἠγεμόνες δδῖεν, ἀνακτες, ἀγρί.  
 Σὺ γὰρ Τούτοικῆς μάλ' ὀχυρὸν ἔρεισμα ἔποθες,  
 Σὺ σπέρωμος, πέτρη, ἀκρόπολις τε χθονός.

Ἦς ὑπερασπίδος πυργός τε μαλ' ὑψιθέμεθλο  
 ῥυθὸς τ' ἐν χαλεποῖς δὲ γαλέοις τε πόνοις.  
 Χεῖρας τ' ἀχμητῆς καὶ βελὴν ἠὲ παρ' αἰφρών,  
 ὡσπερ Ἀτλας ἄμφω κόσμον ἅπαντα φέρων.  
 Οἶδα δ' ἀνθρώπων πρῶτον τι μῦθον ἔργα παλαιῶν,  
 Οἶδα δ' ἀποθνήσκων οἳ τίς ἔρξε βροτῶν.  
 Οἶδας ἀμέτρητον συπαμφανόωντ' Ὀλύμπου  
 Αἴψ' ἔτι καὶ γαίης πείρατα πάντα μάθης.  
 Σὺ θεράπιδες αἰετὸν ἐν αἰθέρι οἰκία γένεθαι  
 Κοίρανον, ἐντίμως δὲ σεβέως τε θεῶν.  
 Νωλεμῆς ὑψίστη κατ' ἄρουρος ἐνὶ Ἀοσάδ' αἴη  
 Τήρησας μύθους ὦ ΓΥΛΙΕΛΜΕ θεοῦ.  
 Αἶπα τοὶ ἀγαθῶν ξυμπάντων ἐστὶ βροτοῖσι,  
 Ζωαρκῆ τε χαρῶν ἡμεῖς πάντα φέρει.  
 Τοῖσ' ἐπὶ δ' ἀκρόαται, βουλήν κ' ἐπὶ δουραδὶ ἀλκήν  
 Οἶον ἀκροῦ μὴ πω ἀνὲρ Ὀλυμπος ἴδεν.  
 Ἄλλ' ἄγε θ' ὑστάτιον νῦν τέρεμα βίοιο κίχανεν,  
 Νῦν θανάτου κρυερόν κ' ἠρώμελαιναν ἴδες.  
 Νῦν γέρας δὲ σεβίης λάβεις ἄσπετον οὐρανὸν ἀπικνῶ,  
 Ὅσπερ γόνον ψυχῆ ἱμερθέεντα φέρει.  
 Αἰεὶ ἀνθρώπων τῶν νῦν ἐπὶ γαῖαν ἑόντων,  
 Οἷς λίπες ὑσμίνης κ' πολέμοιο κλόνον.  
 Αἰεὶ ἀνθρώπων, Γερμανῶν ὤλετο πέτση,  
 ἄσπιδος κ' παύροσ', πυργός, ἔρεισμος, σύλη.  
 Θρήνη Μῆσα φίλη, γρόωσα τε μυρομύθη τε  
 Εἶπ' ὀλοφυδνὸν ἔπ' ἔτι, θρήνη Μῆσα φίλη.  
 Παύρο Μῆσα φίλη, ἐλεφνὸν ὑπ' ὄφρουσιν εἶδειν  
 Δάκρυον, ἀχνυμύθη παύρο Μῆσα φίλη.

M. Zacharias Palthenius Frid-  
 bergensis, V. L. ἱεροσῆς.











20 1043

(X2203498)

TA → OL

101

no folio 101. q. 101. p.

**P**

**T**

**R**

**O**

**D**

**L**

**V**

**A**


**lib. 19**

Homo

*Handwritten notes in a cursive script, likely a later addition or marginal commentary.*







M  
I N C

CAV  
fu

MED

CV M  
Io

Cum

M  
M

S

Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

